



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

De spe Liber III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

EVANGE

LISTARII MARCI MARVLI LIBER
tertius, de his agens, quæ congrue ad spei titu-
lum rediguntur.

¶ De prudentia & simplicitate. Caput I.



Matth. 10.

T autem in his quæ bona sunt, constanter fideliterque perseveremus, prudentia nobis op^s est. Opportune igitur de hac virtute nunc disseremus: quæ ut virtus sit, ab omni sobdolæ mentis malignitate aliena esse debet, ut ne quem offendas, sed cum tibi, tum alijs prodesse possis. Obserua igitur & opere implere contende domini præceptum, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Prudentiæ simplicitatem coniunxit, quoniam altera alterius auxilio indiget, ut utraq; sibi constet, & vitio careat. Nã simplicitas absq; prudentia erroribus patet. Prudentia sine simplicitate, in fraudulentiam calliditatemque mutatur, & vitio superata, virtutis nomen amittit. Ne quis ergo fallendi astutiam, prudentiam esse putaret, prudentem simplicem oportere esse dixit: & rursus ne quis incauta simplicitate contentus esset, eam prudentiæ comitem esse debere monstravit. Igitur prudens eris, quoties lectionibus incumbis, si vtilia elegas, inutilia relinquis, & serpentis fueris industriam imitatus, quem aiunt aubus solidis de poratis ossa euomere, carnes vero, quarum cibo vitam sustentat, retinere. Simplex eris, si inter legendum nihil quod orthodoxæ fidei repugnet senties, & quæ tibi repugnare videbuntur, quam intelligentiam habebant, doctum aliquem ac fidelem virum interrogabis, & eius expositioni acquiesces. Ita semen cadens in ter

ram bonā, fructum afferet, vt cum didiceris, alios doceas. Prudens eris, si ab ijs quæ tibi nocimento esse potuissent, cauebis ac fugies. Omni custodia custodi cor tuum, inquit Salomon. Si vbiq; periculum timueris, vbiq; piculo liber eris, prudentiæq; laude dignus, cum timenda sapienter vitare noueris. Vt autem & simplex sis, non in te, sed in deo confide. Hoc est enim illud quod in prouerbis est dictum, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, qui vero deprauat vias suas, manifestus erit. Prudentiam seruabis, cum prius rei quam aggressurus es, exitum consideraueris, & cuncta consilio ac ratione fueris mensus. Turrim in euangelio edificaturus, prius computat sumptus, ne posito fundamento & deficiente pecunia opus imperfectum cogatur relinquere, probroq; pateat dicentium, Hic homo cepit edificare, & non potuit consummare. Simpliciter custodies, si nihil ad iactantiam, nihil ad inanem gloriam feceris, sed quicquid agas, ad dei laudem tantum deque gloriam egeris, & pro benefactis ipsi gratiam, sine quo nullum sit bonum, habendam duxeris. Prudens es, si conscientiam tuam quotidie discutis, si quoties a somno exurgis, quid acturus sis cogitas, quoties cubitum redis, quid egeris, quid omiseris, in quo excideris tecum examinas, vt deinceps cautius iedas. Simplex es, si tunc etiam cum irrides, cum contumelia afficeris, cum iniurijs oneraris, patienter toleres, non irascaris, non turberis. & quasi qui nihil mali passus fueris, vultum non mutes, atque intra te animi quietem conserues, illorum puerorum more, quos dominus ad se venire iussit, & quisquis (inquit) non receperit regnum dei veluti paruulus, non intrabit in illud. Sicut ergo paruulus iræ odiiq; passionibus caret ex natura, ita vir simplex carere his consuevit ex voluntate. Prudens præterea si fueris, præteritorum recordaberis, præsentia dispones, futura prospicies, teq; ita præparabis, vt in fine vitæ inueniære promissa immortalitate dignus. Ex aliorum enim euentu discas quid tibi fugiendum, quid expetendum sit, vt cum plenis lampa

Luc. 12

Cant. 2

Prou. 2

Fibri pon
tici

dibus aduentanti sponso occurras, & non tunc oleum parare quaras, cum parato opus fuerit, dictumque illud semper in mente habebis. Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Tum si quoque simplex fueris, ab omnibus animi inquinamentis mundum te exhibebis, nulli detrahes, nullum offendes, nulli malum optabis, nihil simulationis, nihil doli concipies, toto actionum tuarum corpore lucidus eris: quia mentis oculum a vera re, atque simplicitate non auertes. O felicem animam quæ talis fuerit, a cælesti enim sponso merebitur audire: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Oculi utique simplices intentionis, non malignæ; & qui quod vident, quod sentiunt, non dissimulant: nec bonum negant esse bonum, nec malum malum: ut non simplices modo, verum etiam recti sint, & assequantur, quod in Prouerbijs Salomon pollicetur, dicens. Custodiet rectorum salutem dominus, & proteget gradientes simpliciter. Ipsius dei ore laudari meruit Iob, quod simplex & rectus esset, & timens deum & a malo recedens. Prudentis postremo officio fungeris, si postquam cuncta consideraueris, quæ ab imprudentibus concupiscuntur, cum Salomone clamabis. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Atque ideo diuitias, honores, luxum atque pompam, simulque omnem præsentium voluptatum usum magno animo despiciere incipies, ne quid tibi viam iustitiæ ingredienti impedimento sit, & potius absque his quæ vulgo bona putantur, salueris, quam cum ipsis pereas, ne minus tibi prospexisse arguaris, quam feræ bestiæ illæ, quæ abrosis partes corporis in fuga venatoribus relinquunt, ob quas naturæ suæ instinctu se perire norunt. Dilargiris igitur opibus, & mendicorum indigentiam distributis, pauperem Christum sequeris, cupiens in deo tantum diues fieri, & pro caducis ac fragilibus bonis possidere stabilia & æterna. Simplicitatis etiam partes ages, si paruo modicoque contentus viues, & quæ ultra necessitatem sunt, ea parumpendes, neque concupiscas vnquam, & tibi satis felix videberis, cum sustentamenta vitæ tantum

suppeditabuntur. Spem enim omnem in deo pones atque firmabis, qui suscitatur a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, non cum quibuscumque, sed cum principibus populi sui, cum angelis atque archangelis in regno suo sempiterno. Ipse idem ex hoc prudentium simpliciumque genere suam consistere voluit ecclesiam, cum diceret. Seminabo domum Israel & domum Iuda semine hominum & semine iumentorum. Homines enim sunt ad quos pertinet prudentia, iumenta ad quos simplicitas. Quod autem hi qui utraque in parte recte versati fuerint, beatitudinem consequantur, psalmista sub eadem verborum metaphora testatur, cum ait. Homines & iumenta saluabis domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam deus. Nisi enim ille misericordiam suam multiplicaret, quis nostrum saluus fieret?

Iere. 31

psal. 35

¶ De prudentia vitiosa & simplicitate stupida. Cap. II.

FESSE tamen & prudentiam quandam nouimus, non probatam, de qua in prouerbis legitur. Ne innitaris prudentiæ tuæ, hanc deuitare debemus quia ista de se præsumentium sequemirantium prudentia est, qui neminem consulunt, neminem audiunt, doctioribus contradicunt, quæ se omnium perspicacissimos consultissimosque existimari volunt. In illos Isaias exclamat, dicens. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Quod vitium & Apostolus prohibet cum ait. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Neque illi quidem qui in terrenis duraxat negotiis prudentes sunt, laudantur, cum rebus fragilium cura implicati diuina negligant & aspernentur. Unde idem Apostolus. Prudentia (inquit) carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax. Et iterum, Prudentia carnis inimica est deo. Sed quæ inimica est deo, ne illi quidem cuius est, amica esse potest, cum idem corpori multa prouideat, animæ suæ nihil, animam quæ longe nobilior est corpore, nihil estimat, quinim-

prou. 3

Isai. 5.
Rom. 12.

Rom. 8

Pfal. 31.
1. Cor. 14.

mo vt carne blandiatur, spiritum perire patitur, quia nec vsuris abstinere, nec aliena per vim vel per calum-
niam occupare veretur, nec dolis fraudibusq; niti vt lu-
cres, cauet. Valde quã fugienda est ista prudẽtia, quia
vere mors est, non mors quã mortem afferat, sed quã
morte acerbius cruciet, & mori vetet. Cãterum neq; i-
pfa simplicitas (vt diximus) absq; prudentia erit probã
da. Stupida enim & fatua est, offendens ad lapidem pe-
dem suum. Hanc habere prohibemur, dicente prophe-
ta: Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est
intellectus. Et apostolus: Fratres (inquit) nolite pueri
effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autẽ
perfecti estote. A sensibus exclusit simplicitatem, a sim-
plicitate malitiam, vt neq; sensus perueri sinantur p-
ignorantiam puerilis obtusitatis, neq; simplicitatem
rectam deprauet maligna suggestio. Paruulã sensibus
fuere virgines illã, quã de sola fidei virginitate sibi
plaudentes cum vacuis lampadibus occurrerunt spon-
so: & quoniam oleum bonorum operum, quo sensuum
nostrorum lampades illuminantur, non habebãt, intra-
re ad sponsi nuptias nequere. Nemo igitur vsquea-
deo simplex sit, vt ad beatitudinem consequendam aspi-
rans, quibus vitã meritis illam adipisci possit, ignoret
Et nemo vsqueadeo prudens sit, vt carnalia tantum cu-
ret, & spiritalia omittat, ne prudentiores appareant fi-
lij huius seculi in generatione sua filijs lucis. i. infideles
fidelibus, dum illi diligentius cautiusq; humana exe-
quuntur negotia quam hi diuina. Hãc de prudentia &
simplicitate, nunc de sapientia, quã & has & reliquas
omnes amplexa est virtutes, aliquid est dicendum.

Lucã. 6.

Quid sit sapientia, & vbi quãrenda.

Cap. III.

Sapientia est (vt Stoicis placet) diuinarum huma-
narumq; rerum sciẽtia & cognitio: atque inter sa-
pientiam & prudentiam hoc differri, qd prudentia
tantum circa humana sit. Hãc igitur quã proprie
sapientia dicitur, late se effundit, vtraque scientiã cõ-

tinet: neque scire tantum contenta est, nisi etiam secun-
 dum scientiæ suæ præcepta mores vitamque composu-
 erit. Nam si quis philosophiam omnem didicerit, & nõ
 perinde ac illa præcipit, viuat, doctum equidem confi-
 tebor, sapientem negabo. Non cadit vitium in sapien-
 tē, cuius propria est virtus. In hoc fere omnes conueni-
 unt, vt dici sapiens non debeat, nisi qui cunctis præcel-
 lat animi bonis, & tam scientia sit instructus quam p-
 bitate. Summum itaque bonum expetentibus, qd sem-
 per inquirendo philosophi inuenire nunquam potue-
 runt, opus erit eam discere doctrinam, quæ a deo no-
 bis non ab hominibus tradita sit, cum sola verissimum
 ad beatitudinem monstrat iter, & eandemque certissi-
 me polliceatur atque conferat. Neque tamen qui me-
 diocri scientia præditi sunt, a spe beatitudinis excludū-
 tur. Si uis (inquit) ad vitam ingredi, serua mandata. Di-
 uinæ igitur legis tantum quæ ab bene beateque uiuen-
 dum pertinent institutiones nosse, & eas opere psequi,
 satis perfecta est hominis sapientia. Quanquam illius
 perfectior, qui insuper dilargitis rebus modico cōten-
 tus Christum sequitur: & corporis quoque puritatem
 seruat repudiatis connubiis, vt casto domino propius
 accedat meritis castitatis, & centesimum fructum ca-
 piat, trigesimo sexagesimoque relicto. Sed licet perfe-
 ctioris vitæ altior sit beatitudinis gradus, vna tamen
 est beatorum ecclesia, vnum corpus. Quo fit vt ab ista
 sapientia, qua saluamur, ne coniugati quidem excludā-
 tur, si modo quæ iussa sunt, peregerint. Illos autem sa-
 pientiores esse dicimus, quos virtutibus nouimus præ-
 stare, & non scientia solum vel eruditione. Scientia e-
 nim si virtutibus careat, inflat, multumq; doctus & pa-
 rum sapiens nimium sibi arrogat, interdū etiam vitati
 retragari audet, vt se aliqd p̄ ceteris argutius atq; sub-
 tilius inuenisse probet. Quamobrem concludendū est,
 vt longe sit melius pauca scire cum virtute, q̄ absque
 virtute multa. Cæterum scientia ipsa atque eruditio, si
 bñ vtaris, plurimū iuuat: si male, perniciofa est, semper
 que p̄ferenda scientiæ peccatrici rusticitas sc̄tā. Iunge

P hiloso-
 phi

Dan. 11

autem scientiæ virtutem, & iam plenior consummati-
 orque tibi dabitur sapientia, myſteria ſcripturarum in-
 telliges, latentibus ſub literæ velamine ſenſus tibi ape-
 riantur, & cubiculum ſponſi ingreſſus pulchritudine e-
 ius capteris, amore exardeſces, quantoq; illi propius
 acceſſeris paſſibus piſi affectus fidelisq; conſiderationis
 tanto magis ipſo intelligentiæ lumine illuſtraberis, ita
 vt alios quoq; docere valeas, & errantes ad recti viam
 reuocare, & cõtradicentes refellere, & eccleſiam dei ædi-
 ficare, ex quo grande tibi meritum gloriãq; compara-
 bis, iuxta illud. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi splẽ-
 dor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos,
 quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Quid eſt autẽ ſci-
 entia, niſi perfecta veri falſique dignoſcendi ratio: quæ
 cum propria dei ſit, illa quæ ab hominibus eſt, niſi cum
 diuina conueniat, opinio magis dici debet quam ſcien-
 tia. Falli, decipi, errare hominis eſt. In deo iſta non ca-
 dunt. Faceſſant igitur a nobis fallaciõſæ ſtropharum
 argutiæ enthymemataque dialecticorum, non terre-
 nam ſcientiam ſequimur, ſed cœleſtem. Nihil verius, ni-
 hil certius eſſe aſſerimus, quam quod illa continet. Li-
 gnum vitæ eſt iſs qui apprehenderint eam, & qui re-
 nuerit eam beatus. Per hanc enim ad ſummum bonum
 peruenitur, quod ſupra cælum eſſe ignorauerunt illi, q
 ſapientem ſola virtute contentum, ideoque beatũ dix-
 erunt, vbi enim præmia veræ virtutis eſſent neſciebant
 per totam noctem humanæ ſcientiæ laborantes, & ni-
 hil capientes. Sapientiores igitur fuere illis piſcatores
 noſtri, quorum diſciplinam, quam a Chriſto didicerãt,
 & philoſophi Ariopagum relinquentes ſunt ſecuti, &
 ipſi Romani principes contempta idolorum cultura, p
 bauere. Totis enim imperiũ viribus falſorum deõrum re-
 ligionem defenderant, victi autem non armis, ſed eo-
 rum qui cædebantur patientia Chriſtum ſuſceperunt,
 qui ab ipſis prædicatus fuerat. Atq; hæc fuit victoriã
 quæ vicit mundum fides noſtra. Pugnantes non repu-
 gnantibus ceſſere, inermibus armati, & quod mirabi-
 lius eſt, interemptis interemptores. Ab alteris in-

medium prolata Christi religio permanfit, ab alteris tu-
tata idololatria defecit. Et quisnam dicere audet, pro-
fessionis Christianæ scientiam non esse veram, cui tam
potentes inimici, non iam inuiti, sed volentes colla
submittere?

¶ De sciētia diuinitus tradita &
sapientis officio. Caput III.

Hæc est scientia, quam a nobis exigit dominus,
dicens. Misericordiam volui & non sacrificiū,
& scientiam dei plusquam holocaustum. Hanc
ipsam autem dei scientiam a se peti iubet, cum ait: Si
quis sitit, veniat ad me & bibat. Et ego sum ostium,
inquit, per me si quis introierit, saluabitur. Non est ita
que aditus ad beatitudinem, nisi per scientiam diuini-
tus nobis traditam. Ceteræ omnes scientiæ vanæ sunt
nemo enim per illas efficitur beatus, quiq; ipsis nitit,
hominum opinionibus pendet, & certam vitæ viā, pr-
sus ignorat. Quis em̄ nouit filium nisi p̄, vel p̄rem nisi
filius, & cui voluerit fili⁹ reuelare? Vñ & Petro Ch̄m
confitenti idem r̄ndit: Beatus es Simon bar Iona, quia ca-
ro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cæ-
lis est. Deicit autem ut qui homini quem formauit,
beatitudinem dare decreuerat, doctrinæ quoque esset
autor, per quam beatitudo ip̄a acquiri posset. Incassum
igitur laborarunt omnes philosophorū scholæ, omnes
mundi sapientes, ut veram de deo scientiam per se ip̄si
inuenirent, si non alius quam deus debuit illam homi-
ni monstrare, sicut & fecit. Sed non est satis eam didi-
cisse, nisi q̄ p̄cipiunt fecerimus, beati esse non possum⁹.
Neq; enim viam qua ad cælū itur, nosse, sed cū noueris,
per eā ingredi sapientis est. Quinimmo tanto nequius
peccat, q̄to quis inter bonum malumq; discernere ple-
nus didicit. Sit igitur in te sanctarum scientia scriptu-
rarum, sed ita ut non desint, quas illa commendat vir-
tutes, & absint vitia quæ detestatur. Hoc si præstite-
ris, vere te sapientem esse scias, ac beatum fore cum
hinc decesseris credas, atq; tunc demum & scientia,

Osee. 6

Iohan. 7

Ioh. 10

Mat. 16.

Philoso-
phi

& sapientia & bonis omnibus multo huberius quam in
 hac vita fieri possit, complendum. Etenim neque scienti-
 am perfectam habere possumus, quamdiu mortalitatis
 onere premimur, neque sapientiam, dicente Apostolo, Ex
 parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem
 venerit quod perfectum est, euacuabimur quod ex parte
 est. Corpus quippe (ut quidam sapiens ait) aggrauat a-
 nimam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa
 cogitantem. Sit ergo satis ea discere atque nosse, quæ ad
 dei scripturarumque eius intelligentiam nobis concessam
 pertinent, ut cum ita quemadmodum præceptum est vi-
 xerimus, illo ubi perfecta sunt omnia cōscēdamus. O-
 ptimum itaque iudicemus, non plus sapere quam oportet
 sapere, sed sapere ad sobrietatem, hoc est, quantum
 humanæ naturæ permittitur, tantum & indagare dis-
 cendo, & conari operando. Atque hoc erit seipsum nos-
 se, nihil supra vires tentare, neque quod capere non pos-
 sumus, frustra seque velle, sed suis finibus cōtentari; & ea
 quæ verbis explicare nequimus, fide tenere, diuino cre-
 dentes testimonio. Porro sapientiæ diffinitionem quæ
 supra retulimus, diuinarum videlicet atque humanarum
 rerum scientiam esse, non plene factam arbitror. Quæ
 nam erit sapientia, ut iam dixi, scire tantum & non fa-
 cere, quæ faciendā didiceris, neque cauere quæ cauendā
 noueris? Mansuetudinem, liberalitatem, clementiā,
 castitatem, constantiam cæterasque virtutes, non nosse
 solum, verum & exercere, earumque officio uti sapien-
 tia est: nihil agere quod actum nolis, nihil omittere quod
 omissum negligentia possit ascribi: in omnibus sibi ipsi
 constare, nec leuem esse, sed grauem, atque in his quæ re-
 cta & honesta sunt, firmum stabilemque permanere: non
 ira, non cupiditatibus, non turpi lasciuia moueri, sed af-
 fectus ratione moderari, & animi motibus præesse ut
 dominum, non subesse ut seruum. Vis ista in summam
 redigi? audi prophetam dicentem: Quiescite agere p-
 uerse, discite benefacere. Rationale animal est homo, si
 naturam suam non peruerterit, sapientiam exquiret.
 Ingenita est enim ei ratio, qua & bonum expetat, & a

1. Cor. 13.

Sapient. 1.

Isaia. 1.

malo declinet. Dabit itaque operam vt disciplinis istruatur, quæ natuā suam p̄ficiāt, ne ignarus rerū erret, nec pro bono accipiat malum, & bonum pro malo: ac dum sapienter se facere putat, insipientiæ arguatur, Nam licet affectionem boni habeamus a natura, non tamen & scientiam quæ efficit sapientem. Inter doctum autem & indoctum multa distantia existat necesse est, quanta vti que inter scire & nescire. Quorum alterum Salomon luci, alterum tenebris comparat, dicens: Vidi quia tantū præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Et sapientis (inquit) oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat. Illius oculi in capite sunt, qui altioris sapientiæ circumspectu regit vitam, mores componit: & qui sit cuiusq; rei exitus, diligenter perpendit: q̄ sua intersunt, nouit, & illa tractat, illa meditatur: quæ vero a se aliena iudicat, ab ijs abstinet, naturā hominis finemq; considerat, seque ad immortalitatem natum intelligit, & caduca bona contemnit, dum æterna obrinere festinat. Itaq; cælo æquatur, & terra superior est animus sapientis, in contemplatione diuinorū assiduus, hūanaq; trascēdens, nihil aliū illi curæ est, nisi vt deo placeat, quicquid agit, ad hunc vnum finem dirigit, vt deo frui possit.

Eccle. 2.

¶ Quod sapientia donum dei sit, & vera sapiētia Ch̄m imitari. Cap. V.

Porro talia scire atque ita sese gerere, ne quis industria suæ arroget, sed donum dei esse agnoscat, scriptum est, Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia. Et iterum, Omnis sapientia a domino deo est, & cum illo fuit semp, & est ante æuū. Ipse omnium conditor deus, cum hominem in lucē produxisset, sapientiæ capax fecit præ cæteris animantibus, vt autorem suum intelligeret, intelligendo amaret, amādo possideret, possidendo perpetuo beatus cēt. Quam quidem sapientiam vt concipere & tenere possimus, non solum discendi studio incūbere, sed etiā votis precationibusq; poscere debemus, cum Iacobus Apo-

Prou. 2.
Eccle. 1.

- Iacob. 1. stulus dicat: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a deo, qui dat omnibus affluenter, & non imporat, & dabitur ei. In Iob quoque legimus, Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Ceterum vas mundum fit oportet, in quo diuinæ sapientiæ thesaurus recondi debet. vnde dicitur; Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & deus præbebit illam tibi. Item: Omnia (inquit) dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam. Quomodo enim illic potest infundi cæleste donum, vñ eieciti prius & exterminati nõ fuerint terreni affectus? Duo contraria simul in anere nequeunt. Quæ enim societas luci cum tenebris? Christo cum Belial? Ideo est scriptum: In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in copore subdito peccatis. Cur enim principium sapientiæ timor domini dicitur, nisi quia is qui deum timet, se a delictis continet, & innocenter viuere studet, ne creatorem suum offendant? Ab hoc principio proficere incipimus, & addito discendi labore sapientiam in mysterio absconditam, & credulis tantum humilibusque reuelatam, ex diuinis voluminibus haurimus. Hanc si alibi quaeris, nusquam inuenies. Latuit philosophos, ignota fuit omnibus gentiliū sapientibus, tradita autem prophetis Christique discipulis. Vnde ait: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, illis autem incredulis videlicet & humana tantum scientia nitentibus non est datum. In sanctis ergo scripturis hære tibi dei sapientiã, & verbi dei scientiam, & quære mente pura cordeque fideli, atque ardentem descendi desiderio, vt quod cupieris, assequi merearis. Dei autem sapientia & dei virtus, Christus est. Hunc scutare in veteribus celatum scripturis in nouis manifestum, in vtrisque admirabilem atque adorandum, summi boni doctorem ac largitorem. boni inquam, quod tota gentilitatis academia semper persequitur, & nunquam potuit inuenire. Neque enim fas erat, vt tantæ rei, qua nihil homine maius potest contingere, alius esset cognoscendæ monstrator, quam qui esset fruendæ donator atque autor. Minus dignitatis habitura erat nostra religio, si alio quam deo institutore

præceptoreque gauderet . Ipse debuit perfectæ beati-
tatis iter ostendere, qui ipse esset perfectissimus omnium
felicissimusque , vt soli gratiæ agantur habeanturque
tâ pro doctrina adipiscendæ salutis, quam p̄ adeptæ be-
neficio. Hanc autem probatissimæ saluberrimæque dis-
ciplinæ sapientiam, cum deus in mysterio velatam da-
ret, per seruos exhibuit. Sed cum reuelatam tribueret
per filium vulgavit: Tunc in nubis aut ignis figura ap-
parens deus cum hominibus est locutus, postea vero de-
us homo factus, cum hominibus conuersari, & præ-
sens ipse cū iisdem colloqui voluit, vt legis & euange-
lij distantiam cognosceremus. In illa futuri signa sunt
in hoc eorum euentus: in illa vmbra, in hoc veritas; in
illa seruitus, in hoc libertas; in illa promissio, in hoc
promissionis impletio atque gratia: in vtroque autem
bene beateq; viuendi præcepta, plenius tñ exactiusq; in
euangelio quam in lege, quia legis mediator Moyses,
euangelij Christus, p̄ quē redempti ac saluati sumus.
Hunc si sequi volumus, & sanctissimis eius institutio-
nib⁹ inhærere, v̄e sapiētes vereq; bñ crim⁹, & iā nō ter-
reni sed cælestes. Audiamus qd sup hac re Apost. dicat:
Iudæi (ingit) signa petūt, & Græci sapientiā quærunt,
nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis
quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis au-
tem vocatis Iudæis atque Græcis Christum dei virtu-
tem & dei sapientiam. quia quod stultum est dei, sapi-
entius est hominibus, & quod infirmum est dei, fortius
est hominibus. In his ergo scripturis, quas gentilitas
deridet, & hæreticorum prauitas impugnat, discenda
sapientia est. Quia quod hi infirmum arguunt, fortius
est omni humana virtute, & quod illi stultum existimāt
sapientius est omni mudanæ philosophiæ traditione.
Stulta (inquit) mūdi elegit deus, vt cōfundat sapiētes, &
infirma mūdi elegit deus, vt confundat fortia. Per pis-
catorum quippe & vulgarium hominū prædicationē
superavit philophos, & per inermes martyres, regum
imperatorq; potētia, Quid ni, si iudē ipsi qui p̄seqbantur

.1. Cor. 1

Ibidem.

Christianos, facti sunt Christiani, & ecclesie propugnatores, qui ecclesie hostes erant. Seruire cœperunt Christo, qui imperabant mundo. Christus igitur (vt apostolus ait) factus est nobis sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in domino gloriatur. Quis enim hominum comparandæ veræ beatitudinis rationem potuit per se cognoscere, si hoc solius dei erat docere. cuius solius fuit ipsam beatitudinem tribuere. Quæ dei sunt, inquit, nemo cognouit, nisi spiritus dei, nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est vt sciamus quæ a deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus spiritualibus spiritualia comparantes. Denique post multa de deo salutaris sapientiæ autore dicta ait, Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud deum. Scriptum est enim, Comprehendam sapientes in astutia eorum, Et iterum, Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt Vani quippe sunt, qui sanctæ trinitatis mysterium non admittunt, q̄ veræ beatitudinis bonum non percipiunt quia sibi magis quam deo credunt. Quamobrem nobis non humana, sed diuina doctrina institutis, cum saluatore nostro dei filio deo gratiæ agendæ sunt, sic dicente: Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuulastisti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

Quod sola dei sapientia efficit beatos. Ca. VI.

ET quoniam sola dei sapientia non vana, sed vera est, per quam solam patet aditus ad beatitudinem, Sapientiam, inquit iacobus apostolus, quæ desursum est. primum quidem pudica est, deinde pacifica modesta, suadibilis, bonis consulens, plena misericordia & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Omnes

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Mat. 11.

Iaco. 5.

Itaque virtutes ista sapientia nobis diuinitus ostensa in se continet, & credentibus atque volentibus eas impartit, in quibus qui se digne exercuerint, illos ut a domino remunerentur, de terreno habitaculo ad caeleste regnum feliciter transmittit. Sapientis erit igitur, omni loco, omni tempore, omnibus in rebus diligenter dispicere quid velit dominus, & secundum eius voluntatem, quae iussa sunt facere, quae vitia declinare. Qui sic egerit, & mandatis dei satisfecerit, & ipse suae consulat saluti. Quicquid enim deo obedimus, quicquid obsequimur, quicquid seruimus, totum in nostram vertimur utilitatem: nihil ex hoc ei accedit, qui solus nulla re indiget. Recte ergo Sa-

lomon in prouerbis ait, Si sapiens fueris, tibi metipsum eris, nam illud quoque quod alios docueris quod ad virtutem hortatus fueris, quod verbo, quod re atque opere tuueris, tibi cedit ad gloriam tibi magis quam ulli alii proderit ad adipiscendam veram felicitatem quam affectas. Ac veluti illi qui terram purgant, stercorant, arant, occant, obfringunt modis omnibus excolunt, se mentemque faciunt, postea vero metunt et fructum colligunt, ita hic noster sapiens alijs benefaciendo, sibi metipsum sapiet, cum pro benefactis a domino recipere coeperit mercedem. Hic idem in omnibus prouidum ac prudentem se praestabit, nihil eum imparatum offenderit, omnibus quae accidere possunt praesidio opportuno munitus occurret. In aduersis explicabit patientiam, in prosperis humilitatem, in utrisque constantiam. Apparebitque in illo quod Salomon ait, Melior est sapientia quam arma bellica. Fortior est enim cuius animum non frangunt aduersa neque turbant iniuriae, quam quae armis hostem superat. Alibi etiam dicitur, Melior est sapientia quam vires, & vir prudens quam fortis. Nam sapientia & prudentia bona animi sunt, fortem autem & robustum esse bonum corporis est, & illa quidem hominis propria hoc autem cum bestiis commune. Sapiens tranquille degit, quia perturbationibus temperat sensuum affectiones ratione frenat & saniori consilio parere compellit, Sapiens linguam quoque continet verborum fugit, ne

Proue. 9.

Ecc. 9.

Sap. 5.

Eccle. 6.

in multiloquio peccet. Pauca loquitur sed considerate. nihil leue ab ipso prolatum auditur, sed seriū semper, & graue ponderisque multi. Neque enim prius verbū emittit, quam quo casurum sit cogitet. Sapiens vt semper sapiens sit studet, vtque cum Salomone dicere possit: Sapiētia quoque perseuerauit mecum. Quæris quo pacto semper sapiens esse queat, cum nemo sit qui non peccet, cum septies in die cadat iustus? Sed quæadmodū iustus cum ceciderit, cito surgendo iusti nomen non amittit, ita sapiens dicendus est semper sapiens, qui quoties aliquid stulte peccat, sapienter quod peccatum est protinus emendat, & præteriti errati notam insequentis virtutis laude compensat. Sapientem semper beatū esse philosophi contendunt, eo quod sola virtute contentus sit, virtutem autem sibi ipsam sufficere. Patet, quia nihil extra virtutem, in quo beatitudo esse potuisset, nouerant. Ignorabant igitur bonum illud quātum aut quale esset, quod debetur virtuti, quodque nostri sapientes vitæ innocenter laudabiliterque actæ meritis cōfidunt se consecuturos, & tunc demum beatos fore cum illud adepti fuerint. Sed quam diu in expectatione eius sunt, nondum esse beatos constat, quamuis ob quandam spei certitudinem nunc quoque beati dicantur. Sapiens inquit & in tormentis beatus est. Recte id quidem, si de nostris diceretur, & non de illis qui a vera religione alieni erant. Nostris enim vere beati quos nulla compellere tormenta potuerunt, vt Christum negarent. Porro hi non sola virtute cōtenti erant, quæ prope vana esset, si nihil eam post mortem sequeretur, sed per ipsa virtutis opera deo iungi cupiebant quod quia præcipue martyrii patientia præstare poterat, cædi occidique gaudebant. Illi autem quibus æterna hominis beatitudo ignota erat, non quomodo oportuit, sed quomodo poterant beatam vitam diffinierunt, atq; ipsam quoniam longius protendere nescirent, virtute quæ in præsentia est, terminarunt. Sed quænam quæso esset ista beatitudo, quæ simul cum corpore pecudum more erat finienda? Præterea si sola virtus beata vita esset, sexcen

ties in vita beati essemus, & sexcenties infelices quandoquidem nemo tam firmæ stabilitæque virtutis est, ut non quotidie fere aliquid desipiat, oscitet, deliret, hallucinetur. Tot autem vicibus nunc accedens nunc recedens beatitudo nonne vertibilior haberetur rota figurari, & alterno dierum nocturnumque recursum mutabilior. Non est ergo virtus vita beata sed illa cœlestis æternaque felicitas, quæ debetur virtuti, si virtus ipsa cum vera religione iuncta fuerit. Beata quippe vita est quæ nunquam subducitur nunquam deficit, bonis omnibus affluit semper, malis vacat, desiderium implet; denique ad summum bonorum peruentum est cum ad illam peruenitur. Huc accedit quod Christianorum sapientia non ita rigide neque inhumane circumscripita sit, sicut fuit illa Stoicæ sectæ philosophorum, qui docebant sapientem animi passionibus prorsus carere oportere ut beatus sit. Nos enim e contrario diffinimus, non posse sapientem fieri beatum, qui adhuc in corpore viuens, futuræ beatitudinis desiderio non ducitur, qui pro eo quod aliquando peccauit, dolendo non satisfacit, qui cum benefecerit non gaudet, & deo gratias agit, cuius ope in benefaciendo est usus, qui eidem peccare non meretur, cui soli semper plurimum placere studet, qui denique pauperis & malo aliquo affecti hominis non misereatur. Ea sane vera est sapientia & seruorum dei propria cuius hæ sunt passionis. Illa autem Stoicorum, prorsus vana et non hominis sed lapidis potius, nihil sperare nihil metueri, nihil gaudere, nihil dolere. Si istud sapientia vel vita beata esset, quid in terris lapide & sensu carentibus rebus esse sapientius vel beatius existimari potuisset? Lapidea est igitur illorum & sapientia & beatitudo, non humana. Cum enim veræ beatitudinis ignari essent, beatitudinem ipsam appetitionum quietudinem esse putarunt, & hanc ad sapientem pertinere volebant. At nos veræ quoque æternæque beatitudini gaudium attribuimus, & in deo lætitiæ perpetuamque iucunditatem, amorem etiam & mutuam inter beatos charitatem atque perfectam. Re-

Pudiat itaq; gentiliū fatuitate, sapientiam quam nō homo, sed deus docuit, sequamur, hanc diuitijs, hanc rebus omnibus añponam⁹. Melior ē acquisitio eius (vt re-
cte Salomon ait) negotiatione auri & argenti primi & purissimi, fructus eius pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huc non valent comparari. Sola enim diuinæ doctrinæ sapientia efficit beatos:

Quæ sapientia est vitāda Cap. VII.

1. Cor. 3.

HAnc autem verissimam sapientiam, quam deo tradente accepimus, quo attentius accuratiusq; amplectamur, quærendum restat, quænam sit illa quam cauere debemus, indigna quidem hoc nomine, cū verius stultitia sit dicenda quam sapientia. Est igitur quædam sapientia, quæ mundana siue secularis dicitur, de qua Apostolus, Sapientia (inquit) huius mūdi stultitia est apud deum. Et iteq; Stultam fecit deus sapientiam huius seculi, Hic sane fuit antiquorum deos colentium error, qui olim videbatur esse sapientia, sed postquam euangelij veritas etiam ab ijs qui eam persequebantur, recepta est, apparuit colēdoꝝ deoꝝ ritū nō sapientiam fuisse, sed stultitiam. Tunc Pharaonis sapientium virgæ a virga Moysi deuoratae sunt, & omne diaboli commentum virtute crucis Christi superatum, tunc mulier sanguine fluens, quam medici secularis disciplinæ curare nequiuerant, tacta Christi fimbria recepit sanitatem, quia gentilitas desijt victimarum cruorem dæmonibus fundere, vbi in Christo deum cognouit, quem in spiritu cœpit adorare. Adhuc tamen ista infidelitatis sapientia in illis perseuerat, qui somnia sortescq; obseruant, & naturas hominum ex stellarum influxibus pendere iudicant, & incantationibus diaboli magis q̄ pijs ecclesiæ precibus delectantur. In his omnibus stultus sit oportet, qui apud deum sapiēs esse desiderat. Fuit & alia inter gentiles sapientia, veri quidem inquirendi supra quam dici queat studiosa, sed plane inanis cassiq; laboris, cum inuestigare illud nequaquam potuerit, quod nisi deo monstrante scire nemo poterat. Ista

attem erat philosophorum professio circa ipsam hominis beatitudinem varie sentientium ut diximus atque delirantiū, cum non in cælo, sed in terra illam constituerent, quærentes ubi non erat, & ubi esset nescientes. De his psalmista ait: Defecerunt scrutantes scrutatio. His nonnulli quoque ex nostris mihi similes videntur, quibus non est satis nosse quomodo veram perfectamque beatitudinem assequi possint, sed altiora se indagare conantur & ea quæ nisi fides teneat, ratio non explicat curiosius perscrutari solent. Vnde fit, ut plerumque ab eo etiam quod recte didicerant, aberrent: et dum Christum se tenere putant, de manibus elapsum non animaduertant. Plena periculi est talis sapientia, ideoque vitanda cum scriptum sit: Scrutator maiestatis opprimetur a gloria. Et iterum: Non plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas. Caue igitur nimis altū sapere, ne forte vel cum hæreticis vetus instrumentum damnes, vel cum Iudæis nouum, & cum vtrisque ipse damneris, dicente domino: Nunquid non in die illa perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau. Peribunt utique hæretici, & dei iudicio condemnabuntur, qui terrena sapiebant. Hoc enim Idumæa interpretatur, & Iudæi qui cum Esau aduersabantur fratri eius Iacob, id est, cum synagoga ecclesiæ Christi, ad quam credentem primogenita credere nolentium benedictionesque transferunt. Illud quoque ad hæreticorum infidelitatem spectare arbitror quod Salomon ait: Ciuitates munitas occupabit sapiens, & destruet munitio in qua confidebant impij. Omnia quippe impetatis dogmata quæ illi syllogismis captiosis & dialecticæ conclusiunculis munitentes insuperabilia esse putabant, dei sapientia Christus sua virtute superauit, & euertit. Arii, Sabellij, Euticetis, Manichæi, reliquorumque omnium prauitas defecit, sola Machumetana extrat, ne ipsa quidem diu permansura, dicente domino: Omnis plantatio, quam non plantauit pater eius cælestis, eradicabitur. Sed sunt & in ecclesia fortasse non pauci, qui sibi sapientes videntur, ita ut interdum

Eccl. 7.

Abdiæ. 1.

Proue. 21.

Matth. 15.

N

Isaia 5

psal. 97.
2. Cor. 6.

Ierem. 6.

contradicere audeant catholicae veritati apud ignaros admirationem sui facturi, quasi qui acutius aliquid sagaciusque explorarint, quam illi qui iam pridem probati recepti, celebresque habentur. In istos reclamationem Isaias, dicens: Vae qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Apud deum enim & insipientes & imprudentes sunt, qui temeraria praesumptione abducti ad ostentationem ingenii magis quam ad veritatis confirmationem loquuntur. Porro omnis disciplina quae cum euangelio non convenit, inutilis est sapientem facere non potest, ideoque nec beatum. Poesis fabellarum fictionibus exuberat, Oratoria ad gratiam loquendi artem praefert, Astronomia caeli siderumque motibus, & exinde futurorum divinationibus scaturit, philosophia sapientiae studio gloriatur, cum causas rerum naturasque conquiescit. Sed cum nulla doctrinarum istarum qui hominis finis sit recte verum indicare videatur, nemini discendas dicerem, nisi aliqua in parte divinae quoque sapientiae scientiam adiuverent. Operae premium erit igitur de his tantum capere quantum fidei institutioni convenire constat, caetera ne noceant respicere, aut enim superflua sunt, aut fini nostro adversantia, quod autem superfluum est contemni debet, quod adversarium repelli. De his enim psalmista ait, Noverit dominus cogitationes sapientum, quoniam vanae sunt. Et apostolus, Nolite (inquit) iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? quae autem conventio Christi cum Belial? aut quae pars fidei cum infidele, qui autem consensus templo dei cum idolis? Tantum abest igitur ut sapiens sit, qui ethnicorum sapientes praeter modum aemulatur, ut etiam iniquus & infidelis esse possit convinci. Et quoniam sola dei sapientia, quae in sacris literis continetur, vera est sapientia, ideo ipse dominus per prophetam exclamat dicens Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire &

nosse me, quia ego sum dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra, misericordiam utique erga sapientes in bono: iudicium, & iustitiam aduersus sapientes in malo. De quibus Ieremias ait, Sapientes sunt ut faciāt mala, bene autem facere nesciunt. Sapientia ista doli, calliditatis, versutiæ, fraudum est plena, ista denique non hominis, sed diaboli sapientia est. Hac armatus erat serpens qui decepit Euam, hanc sequuntur illi de quibus in euangelio dicitur, Prudentiores sunt filij seculi filijs lucis in generatione sua. Ab hac certe vir iustus abhorrebit, ut potius secundum deum quā secundum sæculum sapiens sit ac nequando & ipse seculi sapientium capiatur sycophantijs, deum cum propheta orabit. ab homine iniquo & doloso erue me.

Iere. 6.

Lucæ 16.

psal. 42.

Quod sapiens docere alios
debet. Caput viii.

DOcuimus & quæ sequenda sapientia, & quæ fugienda sit, reliquum est, ut eos qui vera. i. diuina sapientia p̄diti sunt hortemur, ne creditum sibi salutaris eruditionis talentum in terra defodiant, sed illic dispensent, vnde cum vsuris exigi possit, & domino cui negotiantur, plurimum lucri accedat. Laxent igitur retia sua in capturam: alios doceant quod ipsi didicerunt, & non sibi solum, sed alijs etiam prodesse studeant, tantoque accepto beneficio se dignos præsent. Ut quid enim bonū sapiæ tu q̄ dei benignitate sapiam adeptus es, cum p̄ximis non cōmunicas, si nihil inde tibi deperit, si cōicatum etiam augetur & excrefcit? Quis est n. qui docet, & docēdo non aliqd discat, & q̄d didicit non confirmet, cū de memoria facile labi soleat & exciderit, quicquid relinquit irrepetitū? Ita fit, ut ipse q̄q̄ dediscas nisi docueris. Doce igitur ut doctior sis, aut saltem ne obliuioni tradas q̄d didicisti. Immo q̄ potissima alios docendi cā esse debet, doce ut beator sis, quicquid erudiunt multos ad sapiam fulgebūt (sicut scriptū est) tanq̄ stellæ in p̄petuas æternitates. Cassus pene labor ē, m̄ta didicisse: & postq̄ didiceris, obmutescere.

Danie. 12.

pro. 8.

ecclie 10.

pro. 11.

Nūqd nō sapientia clamitat. inquit Sal. & prudētia dat
 vocem suam in summis excelsisque verticibus super vi-
 am in medijs semitis stans iuxta portas ciuitatis, in i-
 psis foribus loquitur, dicens: Viri ad vōs clamito, & vox
 mea ad filios hominum. Cum ergo docendi officio fun-
 gi debeat vir diuina sapientia eruditus, nonne sal fatu-
 um erit si tacuerit? nonne verum est quod dicitur: Sapi-
 entia abscoſa & theſaurus inuisus, quæ utilitas in vtrif-
 que? Quid iuuat lucernam accendere, & eam ponere sub
 modio? Profecto si sapiens fueris, non sub modio illam
 pones, sed super candelabrum & aliorum tenebras tuæ
 scientiæ luce depelles. Aut enim linguam exercēbis in
 prædicando aut in scribendo manū, vt etiam de te dici
 possit, Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lin-
 gua eius. Plurimum quidem tibi apud deum meritorū
 accedet, quoties vel scripseris, vel dixeris aliquid, vel
 proprio ostenderis exemplo, vnde alij meliores effici
 queant. Qui enim fecerit & docuerit sic, hic magnus vo-
 cabitur in regno cælorum. Ipse dominus noster Chri-
 stus docuit nec apostolos suos passus est desidia otioq;
 torpere sed spiritu sancto repletos per diuersas orbis
 partes dimisit, vt errantes docēdo in viam veritatis re-
 uocarent, atque illos quidem non itineris labor non p-
 secutionis immanitas ab officio deterruit, & te pigebit
 illorum saltem, a quibus nihil mali metuis, tuæ sapien-
 tiæ medicamenta conferendo, saluti consulere, & mul-
 torum animas dño tuo lucrari? Satis hæc de sapien-
 tia, nunc simplicioribus detegamus inimici dolos car-
 nisq; pugnas, ne ab ijs incauti imprudentesq; superent.

De dæmonum natura. Ca. ix.

Sed enim quo facilius callidissimi hostis machina-
 menta deitemus. operæpretium erit, prius natu-
 ram eius moresq; cognoscere. Dæmones igitur spi-
 ritus sunt, nocendi cupidi iusti expertes fastu elati, a-
 stuti callidi inter cælum et terramque habitantes donec po-
 stremo ad infernū detrudantur, vt tãto eant inferius,

Quanto altius efferre sese conati sunt. Qui vt ei cuius iudicio ad hæc imma deieci sunt aduersentur, homini inuident, atque illos maxime infestant, quibus beatitudinē, quam ipsi amiserunt promissam cognoscunt. Gētilitas dæmones alios bonos, alios malos esse dixit, nos vero sub hoc nomine malos tantum intelligimus. Illos enim spiritus qui boni sunt, dei angelos atque ministros nūcupamus. Neque certe conuenit eos, quorum diuersa ē voluntas, eodem nomine confundere. Dæmones ergo nequitia pleni spiritus inuidia acti stimulis hominem semper ad vitia prouocant, ne ad cæleste regnum, vnde ipsi deturbati sunt, transferri mereantur. Idcirco clamat Apostolus dicens, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus rectores tenebrarum harū aduersus spiritalia nequitia in cælestibus, nō qđ in cælo sint dæmones, sed in aere, qui qđē his plenus esse creditur. In cælestibus autem dixit, iuxta cōsuetudinem diuinæ scripturæ, quæ volucres quoque cæli appellat, quas per aera volitantes cernimus. Magnarum autem virium esse illos ostendit, principatum & potestatem & regimen eis attribuens, non hoc tamen in omnes homines, sed illos duntaxat, qui tenebræ sunt. In illos vero qui lux sunt, ius nullū habent, nisi tentādi incitādē ad peccandum, vt & ipsis relicto bene agendi lumine malignæ actionis tenebras diligere incipiant, & cum id fecerint, tunc etiam ipsis dominantur ac præsent. Aequum est enim vt qui ab innocentia recedendo sub potestate dei esse noluerit, diaboli subdatur potestati. Potestas autem illius tanta est, quantam deus permiserit, qui eorū opera vtitur, tā in prauos puniendos, q̄ in bonos probandos, vt hi cum aduersarij tentamenta vicerint, plus p̄m̄i mereantur, & illi victi si ad p̄nitentiam nō redierint, tanto iustius crucientur, quanto diutius expectati sunt vt redirent. Præterea si dæmonis potestiam ex testimonio scripturæ pensare volumus, p̄fecto homini intolerādam insuperabilemq; esse inuenimus. Hūc Bemoth & Leuitā dici legimus, quorū alte-

Epi. 16.

rum elephantum cethum alterum interpretatur: quæ duo animalium genera cum omnium quæ in mari terraque habentur, maxima sint, maximam dæmonis vim significare videntur: & elephas quidem dæmones aere os designat, cethus aqueos. Nam in utroque elemento habitare feruntur. Nemo itaque mortalium tantæ virtutis est, tantæque constantiæ, qui eorum viribus valeat resistere, nisi ut valeamus deus præstaret, coercens illorum robur, & nostram simul adiuuans imbecillitatem. Stultus est igitur, qui non totam resistendi spem atque vincendi, in deo posuerit. Sit ille licet Abraham vel Moyses, vel David, vel Iohannes baptista, vel aliquis Apostolorum, si propriâ virtute, & non ope diuina niteretur, statim succumberet: in deo autem sperans, victoria potiretur. Beemoth, inquit, quasi bos fœnum comedit, hoc est, paleas igni comburendas, forritudo eius in lumbis eius, & virtus eius in umbilico ventris eius. Illecebris enim Venereæ voluptatis, quæ circa lumbos & umbilicum præcipue sentiuntur, frequenter impugnat. Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago eius quasi laminæ ferri, ad duritiam diaboli ista referuntur, quoniam a malitia quam semel amplexus est, nequit remoueri, & ære & ferro magis obduratus. Sub umbra dormit in secreto calami. hoc illud est quod in psalmo dicitur, Sedet in insidijs in occultis, ut interficiat pauperem dum attrahit eum. De Leuitathâ idem fere alijs verbis prædicatur, & vis naturæ dæmoniacæ exprimitur supra modum potens atque versuta, quæ utique cuncta humana subuerteret, nisi freno arbitrii diuini compesceretur. Per gyrum (inquit) dentium eius formido, corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squamis sepiamentibus, dentique flammam fumique de illo procedere ait: ignita enim sunt iacula diaboli, quibus illi qui vulnerant, vel obscenæ libidinis ardore incalescunt, vel fumo inanis gloriæ laborant. De eius etiam in malo pertinacia dicitur: Cor eius indurabitur tanquam lapis, & frigetur quasi malleatoris incus. De translatione etiam eius a statu suæ sublimitatis dictum est: Cum sublatus fuerit,

Psal. 9.

Iob. 41.

timebunt angeli, & territi purgabuntur. Iusti enim deum timent, cum etiam aduersus angelicam naturam se uerum, fuisse recordantur; & territi student, si quid deliquerint, poenitentia expiare. Quod autem arrogantibus dominetur, & superbos iugo premat mortiferæ seruitutis, ex eo patet quod consequenter dicitur: Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret, omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbæ. Neque rex solum, sed etiam pater talium nuncupatur, dicente domino: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Sicut enim qui opera Abrahæ faciunt filij Abrahæ sunt, itaque qui diabolum imitantur, filij eius dicendi sunt, non natiuitate, sed voluntatis corruptæ similitudine. Ille (inquit) homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacia, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. Mendacio quippe & fraude primos homines deduxit in interitum. In veritate autem non permansit, quia a deo, qui veritas est, per elationem mentis recessit. Timendus est ergo ut homicida, cauendus ut mendax. Nam etiam si quando vera loquitur, mendax proposito est, quoniam ne verum quidem verum dicendi studio exprimit, sed cura fallendi, ut postquam per nonnulla vere prædicata syncereque monstrata fidem verbis adeptus fuerit, credulos tandem in foueam precipitet erroris. Idem quamuis intimas hominum cogitationes ignoret, eas tamen per exteriores motus atque gestus iudicat & deprehendit, tum quocumque aliquem magis inclinari videt, eo accommodatis tentationibus trahere nititur, suggerens quicquid illum magis appetere conicit. Tu vero si vis istud vitare periculum, etiam cum mali aliquid cogitaueris (impossibile est enim ne quando mens ad illicita non recurrat) caue ne ad gestum cogitationis indicem prorumpas, & enterere ut citius desinat cogitatio intus in anima, quam per sensus effusa se foris ostendat. Quod si illa patue-

Iohan. 8.

Ibidem.

rit, acrius impugnaberis vt cogitata opere perficias, & fortasse crebriori certamine labefactus, tãdẽ succūbes.

¶ Quare creatus diabolus. Cap. X.

Quare inquit aliquis, & creatus est dæmon, si tam malus erat futurus, atque homini ad similitudinem dei factus tã inimicus ac tã infestus? Factus fuit quidem angelus dei, & cum reliquis beatis eiusdem generis in cælo spiritibus beatitudine frueretur aterna. Et licet futuri præsciens deus nosset illum per arrogantia vitium a statu suæ conditionis repellendum, sciebat tamen iustis expedire vt crearetur, ne videlicet deesset illis aduersarius, cuius molestia ad prælium exerceantur, & tandem victoria potiti, gloriosius coronentur. Hac de causa profecto etiam malos homines in mundo nasci ac viuere credimus, non ad suam ipsorum qui damnandi sunt, sed ad illorum qui saluandi vtilitatem: vt cum nullo malorum odio, nulla persecutione, nullis iniurijs a iustitiae pietatisque proposito repelli potuerint, multo plus gratia sibi apud deum comparent, quam comparassent, si nihil in vita aduersi paterentur. Ad hæc ipsa summi rerum opificis prouidentia cum bona multa condidisset, etiam mala quædam his contraria fieri iussit, vt bona malorum comparatione optabiliora redderet. Paradisum itaque magis desideramus, quia scimus & infernum esse. vitam propter metum mortis plus diligimus. Lucem iucundiores nobis facit molestia tenebrarum, sanitatem anxietas ægrotationis præstat gratiorem. Et vt ad virtutis culmen studiosius niteremur proposita peccatoribus supplicia compulere. Ergo & diabolus ideo creatus, vt eius sceditate offensi, magis affectaremus inferi cõsortio angelorum. At etiam quæri potest, quomodo diabolus adhuc pugnat, cū Paulus dicat, quod Christus dominus exuerit principatus & potestates triumphans eas in ligno crucis? Potestas quidem diaboli per crucem Christi ita fracta & triumphata est, vt eos ille dimittere liberos fuerit coactus, q̄s ei

Coloss. 2.

primorum parentum crimine corrupta origo subdiderat, quosq; idem idolorum cultura subuersos iugo pernitiosæ seruitutis oppresserat. Cessauit itaque mundus dæmones pro dñs habere post euangelij vulgationem cessauit & infernus esse fidelium animarum receptaculum, cum Christus in cruce se confitentibus promittere cepit paradysum. Coluber tamen tortuosus hac tanta potestate exutus, aliud fallaciarum genus commentus est: disseminare hæreses cepit & ad vitia concitare. Atque hoc illi permissum sicut diximus, vt sanctorum robur atque constantia innorescat & scelesti tunc saltem cum damnati fuerint intelligant, quam immundo spiritui obsecuti sint, quam bono domino derelicto. In istos igitur & p iustis in Isaiâ exclamat deus. & ait: *Esaiæ. 55.* Ecce ego creauit fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creauit interfectore ad disperdendam omne vas, quod fictum est contra te, & omnem linguam resistentem tibi, iudicio iudicabis. diaboli itaque vasa sunt, qui erroribus catholicam fidem impugnant, atque ab ñs qui pro veritate resistunt damnandi, vt & victi pœnas. et victores gloriam sortiantur. Sequitur enim: Hæc hæreditas seruorum domni & iustitia eorum apud me dicit dominus.

De nominibus dæmonum proprijs. Caput xi,

AD hæc vt plenius dæmonum deprauata natura nobis nota sit, scrutemur in scripturis, nam varie aliquando appellati fuerint, & ipsa nominum diuersitas diuersa illorum vitia monstrabit. Atque vt a proprijs peculiaribusque incipiamus dæmones vocantur, nō quia dæmones, id est, scientes sint, sed dimenim (vt Eusebius inquit) hoc est, terrere consueuerunt. Terrorem enim sunt nobis cum visibiles apparent. Diabolus appellatur, qa peccatorum accusator est quem em græci diabolum eum nos criminatorem dicimus. Satanās. & Zabulon Hebraicum est. hic fluxus noctis interpretatur, ille aduersarius, quoniam in tenebris dæmonum

Spūs neq̄.
Belial. sunt opera, & perpetuo odio persequitur sanctitatem. Hi etiam spiritus nuncupantur, sed non sine additamento malitiæ vel nequitiae. Spiritus enim sunt, omni prorsus prauitate pleni, omni immunditia referri. Belial interpretatur absque iugo, vel absque domino. Nam superbia elatus dixit, Ponam sedem meam in aquilone, & pro similis altissimo. Excusso igitur obedientiæ iugo, dominum pari noluit, ideo ad ima deiectus, adhuc non cessat superbire, & homines conculcare velle. Asmodeus in Tobia legitur. Interpretatur autem facturæ iudiciū vel plasmatio iudicantis. Quia factus est ad malorum vindictam, probationem vero bonorum. Beelzebub muscarum deum sonat. Nam cum omnibus reia intendat, muscas tantum, id est infirmos, capit, fortioribus non præualet. Mammona Syrum Hebræo mixtum vocabulum est, & diuitias vel cupiditates designat. His ille imprudentium mentes implicat, ne deo seruire queant, cū mammonæ cœperint famulari.

¶ De nominibus dæmonum brutalibus. Cap. XII.

Bestiæ.
psal. 72. **D**æmonibus præterea, quoniam ex angelica in brutalem quodammodo conuersi sunt naturā, bestiarum nomina tribuit scriptura. Vnde & Dauid orauit dominum, dicens. Ne tradas bestiis animas cōfidentes tibi. Et idem alibi, Increpa (inquit) bestias calamum. Fragilis est enim ut calamus, qui se ab his vinci patitur, & non potius ad auxilium dei recurrit ut vincat.

Ezech. 34. In Ezechiele quoque promittit dominus facturum se, ut cessent bestiæ pessimæ de terra, quod partim in primo Christi aduentu impletum, partim in secundo implendum credimus, cum omnes bestiæ istæ in barathrum inferni detrudentur. Hi & leones & dracones dicuntur, quia nunc aperte nos inuadunt ut leo, nunc occulte nobis insidiantur, ut dracones. Aspis quoque diabolus est & basiliscus, illis duntaxat quos primo congressu supe-

Leones
Dracones.

rat. Aspis quippe morfu, basiliscus aspectu statim perimit. viro autem iusto dicitur: Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. Beemoth & Leuiathan in historia Iob legitur, quos elephantum & cethum vocari diximus, alter tamen proprie bestialis interpretatur, alter persequens eos quasi enim ferocissima bestia nunquam ab hominum persecutione conquiescit. Vulpes præterea, quia fraudulentus est, appellatur vt in psalmo, Partes vulpium erunt & qui versutiam eius imitatur vulpes est, vt in euangelio de herode: Ite, dicite, vulpi illi. Sanguisugam Salomon vocat in prouerbis: Sanguisugæ (inquit) duæ sunt filia, dicentes, affer affer: quæ sunt istæ filia, quæ quantumuis afferas non satiantur, nisi libido & auaritia: quibus qui illaqueatus fuerit, ei diabolus erit vere sanguisuga, exhaustiens eius sanguinem per concupiscentiam & spiritum per concupiscentiæ adimplentionem vt corpori simul animæq; nocet. Idem serpens dicitur & scorpio. Mera enim venena sunt quicquid ille suadet huius tamen periculi metu seruos suos liberat saluator, dicens. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones. In Isaiâ est scriptum, Implebuntur domus eius draconibus habitabunt ibi strutiones. & pilosi saltabunt ibi, respondebunt vlulæ & sirenæ in delubris voluptatis. Dæmonum hæc nomina sunt. Domus eorum es si perditte viuis, draco tibi est diabolus si virosos eius afflatus non deuitas, strutio tibi est, si terrenarum rerum curis implicaris. Licet enim pennas habeat strutio, nunquam tamen a terra subleuatur. Pilosus tibi est, si in vitis consenescis, pilosa nanque est senectus. Vlula tibi est, si in tenebris vitam agis, & ab eo auerteris qui ait: Ego sum lux mundi. Vlula enim est nocturna avis. Deniq; sirena tibi est in delubris voluptatis, si cætib; amator ijs delectaris, citharæq; sono ad lasciuam carnis concitante. Aiunt enim sirenas olim in Siculo litore viros præternauigantes cantu demulcere, & consopitos laniare solitas, facile ab ijs capiet, q; obturatis

Beemoth.
Leuiathan

Vulpes.

Sanguisuga.

Serpens.
Scorpio.

Isaiæ. 14

Strutio.

Pilosus.

Vlula.

Sirena.

Volucres
Ezech. 29

velut Vlyffes auribus non pertransierit. Dæmones præterea volucres cæli appellantur, quia semen verbi dei, quod in duro solo & nullo compunctionis vomere proficisso cecidit, rapiunt protinus & absumunt. Sic autem indurato homini diuina i Ezechiele iustitia minaciter intonat & ait. Bestiis terræ & volatilibus cæli dedit te ad deuorandum. Hi sunt locustæ illæ in Apocalypsi, equis similes bellatoribus, quia feroces. & super capita eorum coronæ similes auro, quia superbi, facies hominum & capilli mulierum, quia vtrique sexui insidiant, dentes leonum, quia quos vicerint, perimunt, loricas ferreas habent, quia in malitia obduruerunt, alis p̄streunt, quia velociter omnia permeāt, caudas scorpionū aculeatas gerunt, quia vnus eorum finis est nocendi hominibus. Et habent (inquit) supra se angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abadon, quod est exterminans. Extorres enim a cælesti patria facti, qui suæ consentiunt tentationi. Quis vnquam tam terribilium bestiarum, tam malignorum spirituum, vel sæuitias vel dolos posset euadere, nisi periclitantibus dominus opem afferret, nisi furorem eorum vis diuina cohiberet, astumque reprimeret?

Abadon,

¶ De nominibus dæmonum publicæ dignitatis. Cap. XIII.

Rex.
Puer.

Pharao

ET hæc quidem a brutis animalibus mutuata nomina, illa ab hominibus, quæ partim publicæ dignitatis sunt, partim cōditionis priuatæ. Nam & rex dicitur, vt in prouerbij. Væ tibi terra, cuius rex est puer. Diabolus puer est, quia non senescit, nec ætatis damna sentit. Væ autem & terreno homini, qui immundi spiritus imperio paret. Idem Pharao est rex Aegypti, rex tenebrarum, id enim interpretatur Agyptus. Pharao ergo est, qui populo dei est molestus, nolens eū dimittere, vt sacrificium offerat deo, sed vt sibi seruiat, ad terrena & lutea opera compellens. Est & Seon rex Amorrhæorum. Seon arbor infructuosa interpretatur & procera, vtrunq; dæmoni conuenit, qui nullum ex se

boni fructum gignit, & supra modum effertur supbia. Amorraei
 Amorraei amaritudinem adducunt vel loquentes di-
 cuntur. Quid autem amarius hæretica prauitate? Hære-
 ticorum igitur Seon iste rex est, vt cum illo simul pere-
 ant, si ab eo ad Chm qui veritas est, non conuertetur.
 Hic est ille Seon superbus qui fideles Israelitas non si-
 nit in pace transire per fines regni sui, obstatq; arma-
 tus, in toto tamen prælio succumbit. Tentare enim dæ-
 mon sanctos potest, vincere non potest, deo cui seruiunt
 protegente. Hic idem est Balach rex Moabitarum, qui
 Balaam diuinum compellebat, vt fidei populo maledi-
 ceret: cui autem deus benedixerat, ei Balaam maledice-
 re nequiuit. Balach exclusio interpretatur & deuoratio
 Ideo ergo Balach est diabolus, quia seruos dei ab hære-
 ditate cælestium bonorum excludere molitur, & in il-
 los infidelium excitat odia, persecutionibus cupiens a-
 uertere a fide, atq; aduersos deuorare. Idem et rex Gai
 Gai præruptum dicitur siue vorago, quæ est infernus
 dæmonum domicilium. Hunc regem Gai Iesus in bel-
 lo victum cœpisse memoratur, crucisque affixisse, exerci-
 tum eius fudisse, urbem vero igni succendisse. Ducem
 ergo Iesum sequamur, atque aduersus regem Gai bel-
 lando præualebimus: & si nos vexillum ferre crucis vi-
 derit, in qua Iesus noster semet crucifigendo illum con-
 fixit, metu percussus concidet, vel in fugam conuerte-
 tur. De quo per Isaiam fuit prædictum: A facie domini
 pauebit Assur virga; hoc est, cruce domini percussus.
 Vrbs autem eius cui dominabatur, gentiles erant, quæ
 tunc quidem concremata est igni, cum gētiles ad Chri-
 stum conuersi. Ignem (inquit) veni mittere in terram,
 & quid volo nisi vt ardeat? Hic idem diabolus Nabu-
 chodonosor est rex Babylonis. Nabuchodonosor, sedēs
 in angustia agnita exponitur. Diabolus enim creatori
 suo rebellis, quamuis agnoscat errorem suum: qua ta-
 men superbia est, nunquam adduci potest, vt ipsum pec-
 cati poeniteat. Rex autem est Babylonis, in illos exer-
 tens imperium, qui errore aliquo confusi sunt: nam Ba-
 bylon confusio dicitur, Hic obsedisse Hierusalem descri-

Amorraei

Deut. 2

Balachi

Rex Gai
Iosue. 8

Isa. 30a

Nabuchod-
onosor

bitur, hoc est homini fideli retendisse insidias, propriis tamen viribus ciuitatem capere nequit, donec rex Ioachim, id est, rationalis animæ pars vltro se illi tradidit. Captus igitur Ioachim iste, quia capi voluit, de Hierusalem transfertur in Babylonem, de virtutibus ad vitia. Itaque nisi nostra sponte manum dederimus diabolo, & eius malignæ suggestioni consenserimus: oppugnare quidem arcem animæ nostræ poterit, expugnare non poterit: & hæc sane sunt publicæ potestatis magis insignia nomina, quibus illum dignum non sua merita, sed hominum peccata fecerunt, ventamus ad priuata.

¶ De nominibus dæmonum priuatae conditionis. Ca. XIII.

Primogenita ægypti.

Primogenita Aegypti sunt dæmones inter omnes nequitia primi, dicente domino: Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Aegypti, sanctificauit mihi quicquid primum nascitur in Israel. Certe nisi dominus noster Iesus Christus primogenitos Aegypti percussisset, principatus (vt Apostolus ait) & potestates aduersas traducens & triumphans in cruce, sanctificatio eius, qui est primogenitus omnis creaturæ, ad nos peruenire minime potuisset. Qui ergo non vult cum primogenitis Aegypti percuti, permaneat in benedictione primogeniti Christi, vt saluus sit. Hi etiam Sydonii nominantur, id est venatores. Qui autem homines erunt & non bestiarum, Sydoniorum istorum venatione capi non poterunt. Ad bestiarum enim, non ad hominum capturam pertinet venatio. Ille tamen ex homine in pecudem vertitur, qui peccat, dicente propheta, Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hi etiam Chaldaei nuncupantur, quos in Abacuc propheta se suscitaturum minatur dominus aduersus iustorum contemptores, Ecce (inquit) ego suscitabo Chaldaeos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacu-

Sydonii

Psal. 48
Chaldaei
Abac. 1

la non sua. Chaldæi quasi dæmones, vel quasi feroces interpretantur, & quoniam per latitudinem ambulat quæ ducit ad perditionem, tu tibi e contrario viam arctam elige, quæ ducit ad salutem, & Chaldæi isti non ingredientur tabernaculum, in quo habitare viderint Christum, sed tabernaculum virtutibus vacuum, & vitijs patens, hoc est, pravi hominis animam, quæ ante peccatum dei erat: post peccatum vero data est satanæ in possessionem, vt sua sit per reatum, quæ sua non est per naturam. In eodem propheta malignos spiritus etiam Aethiopum vocabulo significatos constat. Pro iniquitate (inquit) vidi tentoria Aethiopiæ. Tentoria Aethiopiæ sunt omnes iniqui, increduli, impudici, auari. In his enim habitant, horum carnibus vescuntur.

De eiusmodi homine in psalmo est dictum, Dediti eum escam populis Aethiopum. De iusto autem & fidei dicitur, Coram illo procident Aethiopes, horum interpretatio tenebrarum & caliginis est. Quam ergo miserum est, quam omni calamitate infelicius, seruire tenebris, & a deo qui lux est recedere? Dæmones præterea sunt gigantes, quos in Isaia aduersus Babylonem, id est, animam in peccatis confusam a domino suscitandos legimus. Sunt etiam calumniatores, vt in psalmo, Humiliabit calumniatorem. Vir etiam iniquus & homo inimicus est dæmon, vt in psalmo. A viro iniquo eripies me. Et in euangelio, Inimicus homo in medio tritici superseminauit zizania. Idem est Barrabas, qui adhuc inter ludæos homicidia peragit incredulitatis, & ne ignoremus angelum aliquando dei fuisse, post reatum etiam angelus nominatus est, non tamen bonus, sed malus, non dei, sed diaboli. Vt est illud in psalmo, Immissiones per angelos malos, & illud in euangelio, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Qui quoniam transfiguratur se aliquando (vt Apostolus ait) in angelum lucis, prudentia opus est ad dignoscendos spiritus. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quoties mali aliquid vel a fide alienum suggerere cœperint, certū erit

abac. 3.

Aethiopiis

Psal. 71

Gigantes:
Calumniatores.Vir iniquus
Homo inimicus
Barrabas
angelus
malus.

sub illa luce dæmonis tenebras latere, & simplicibus sa-
queum intendi.

De dominatione dæmonū a rebus
inanimatis. Cap. XV.

Gladius.
Ezech. 21

Num. 7

Clypeus.

Mons Seir
Ezech. 35

Zach. 4

Matth. 17.

Eph. 3.
Profundū

Postremo vt aptior eius neq̄tia sit, nonnulla nota
etiam a rebus inanimatis sortitus est. Nam & gla-
dium & clypeum appellatum in sacris literis ap-
paret. In Ezechiele: Gladius exacutus & limatus vt cæ-
dat victimas, & paulo post: Veniat (inquit) gladius re-
gis Babylonis. Hoc gladio impios concidendos mina-
tur dominus, nisi corrigantur. In Naum propheta di-
citur: Clypeus fortium eius ignis. Iste ignitus clypeus
homines vrget in libidinem, vt per supra adulteriaq̄
traductos mactet gladius exacutus. Turpis enim volu-
ptatis finis est interitus, breuissimum est quidem quod
delectat, quod autem torquet & excruciat, æternum est
Rursum in Ezechiele mons Seir nuncupatur. Hæc dicit
dominus deus, Ecce ego ad te mons Seir, & extendam
manum meam super te, & dabo te desolatum atque de-
sertum. Seir interpretatur hispidus & pilosus. Diabo-
lus quippe Esau pilosi partes secutus aduersus populū
Iudæ, id est confessionis, illos videlicet qui Christum
confitebantur, sese erexerat, & montis instar superbia
elatus regnabat inter infideles. His autem ad Christiū
conuersis, ille desolatus est & desertus, quod futurum
de eodem monte Zacharias quoque vidit cum diceret,
Quid tu mons magne? coram Zorobabel in planum.
De Zorobabel enim natus est Christus, cuius virtute
concidit regnum diaboli. Hic ille mons est, de quo etiā
in euangelio dicitur. Si habueritis fidem vt granum si-
napi, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Non
itaque montes per fidem transferendos dixit dominus
quid enim id iuaret? sed diabolium repellendum. Re-
or hunc ipsum ab Apostolo profundum dici, vbi ad
Ephesios scribens ait. Vt possitis comprehendere quæ
sit latitudo & longitudo & profundum & altitudo,
hoc est, vt queant intelligere & ista media quæ in la-

tum longumq; tenduntur, & quæ in imū potestates in-
feras, & quæ in sublime, angelicas virtutes, vt videli-
cet, præsentia bene disponāt ratione futurorū, in qui-
bus necesse est, aut supplicia pati, aut beatitudine per-
frui. Ad hæc pluuiā illam & flumina & ventos in euan-
gelio, quorum impulsu domus mala fundata euerti-
tur, demones esse intelligim⁹, qui neminē qdem supplā-
rant facilius, quam eos qui in se, cum solubilis arena
sint, confidunt, & Christo qui petra veritatis est, non
innituntur. Diabolus præterea via peccatorum dicitur
dicente psalmista: Viam peccatorum disperdet. & ali-
bi: Via impiorum peribit. Si diabolum sequi desieris,
& Christo cœperis adhærere, via peccatoris peribit,
& anima pœnitentis erit salua. Idem humani generis
perpetuus hostis, etiam olla ardens dicitur, dicente le-
remia: Ollam succensam ego video. In ea excoquendi
sunt habitatores terræ, & non peregrini neque adue-
næ, quorum cōuersatio in cælis est. Idē postremo mors
appellatus est, dicente dño: Ecce posui añ oculos tuos
vitam & mortem, hoc est, me vitam & diabolum mor-
tem. Si ergo Christum tibi elegeris, viues: si diabolum,
morieris. de quo Apostolus etiam dixit: Nouissimus
inimicus destruetur mors. Illis duntaxat destruetur, q̄
a dextris iudicis consistere iussi erunt. Aduersum fan-
ctos enim nullum ius vltra diabolo erit, ne tentandi q̄-
dem. Quoniam hi cum Christo ibunt in vitam æter-
nam, diabolus autem & angeli eius & omnes impij
in ignem æternū. Ac ne plura id genus perquirere otio-
sum sit, hic ille est, cui nomina mille, mille nocendi ar-
tes, cuius viribus quis resistet, cuius insidias quis euita-
bit, nisi qui fidei spetque & reliquarū virtutum armis
munitus fuerit & cum aduersario congressurus vincen-
di fiduciam non in se, sed in deo habuerit. Hæc de nomi-
bus, nunc reliqua distinctius dispositusque conside-
randa sunt.

¶ Qd̄ tētationes pati necesse sit, maxie
circa p̄icipia conuersionis, Cap. XVI.

Pluuiā.
Flumen.
Ventus.

Psal. 45.
Via pctōre

Olla ardēs
Ierem. 1.

Deut. 30.
Mors.

Quamdiu in corpore viuim⁹, aut a diabolo, aut a sensuum nostrorum concupiscentia molestias pati necesse est. Propterea quidem in Ecclesiastico est scriptum, Fili accedens ad seruitutem dei, stas in iustitia & timore, & prępara animam tuam ad tentationem. Et in Iob, Tęratio est vita hominis super terram. Ille vero qui vitam magis religiose ducere decernit, maiorem sustinet dęmonum inuidiam. Nam cum ipsi a deo recesserint, et maxime irascuntur, quem deo proxime accedere animaduertunt. Vnde Apostolus, Omnes (inquit) qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur. Eos etenim nequissimi spiritus vel p̄ insomnia illudere contendunt, vel p̄ horrendas apparitiones terrere, vel per blandimenta turpis voluptatis irretire, & quamuis victi semper discesserint, semper rursus ad pugnam armantur, semperque occasionem nocendi quęrentes nusquam absunt, repulsi astant, fugati redeunt, dicta factaque nostra, gestus insuper ac motus speculantur, quę si ad malum inclinari videntur, lætantur, & modis omnibus ad perpetrandum scelus vrgent, in summa, facere quippiam nequimus quin illi omni loco, omni tempore circa nos sint, nobis cum commorentur. Sic filij Iudę superare quidem lebusęum potuerunt, delere non potuerunt, vnde cũ eis etiam habitasse dicitur. Sic filij Ephraim & Manasse subiecisse certe sibi Chananęum feruntur, non tamen eum interfecisse. Tentationes igitur vincere possumus, ne autem tentemur efficere non possumus. Quod si dominum serpens tortuosus & in omne nefas confidentissimus, tentare ausus est, quanto magis domini seruos? Nūqd̄ nō in euāgelio legitimus, qđ ipsos etiā dñi apostolos inuasit qñq; tęratio? Nec inuasit solū, verū etiā superauit. Iudam vicit avaritia, Petrum timor, filios Zebedęi honoris appetitio, quosdā quis ex ipsis maior esset contentio, quosdam dominicę resurrectionis in credēdo ambiguitas. Ex omnibus tamen vnus Iudas perit, quia ventiam desperauit. Cęteris vero benignitas domini subuenit, ventiamque indulgit, quia & ambitio-

Ecclesi. 2.

Iob. 7.

1. Tim. 3.

Iosue. 15.

Iosue. 16.

Iosue. 17.

nem conuerterunt in humilitatem, & contentionem in concordiam, & dubitationem in fidei firmitatem, & metum in audaciam, etiam inter sæuientes tyrannos Christum confitendo. Datus erat & Paulo angelus satanae, qui eum colaphizet, vnde exclamans ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequiciae in caelestibus. Quomodo enim fortissimi athletae virtus probaretur, nisi ipse contra fortissimos dimicaret? Nobis vero vt minus perfectis, ex diuina dispensatione minor incumbit lucta. adhuc enim & aduersus carnem pugnamus, & daemorum inferiorum insidias patimur, quoniam nondum tantum virium concepimus vt cum principibus & potestatibus manum conserere valeamus. Procerum ecclesiae istud certamen est, vt cum potentibus pugnando, plus gloriae referant ex victoria. At vero postquam carnis desideria pietatis ac iusticiae studio mortificauerimus, tunc & ipsi poterimus dicere: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Interim si in hac leuiore ac proletaria pugna non vicerimus, quomodo in magis graui bello principum atque rectorum vincemus? Porro si strenui militis operam in turba praestiterimus, iam certe altius promoueri merebimur, vt videlicet inter decuriones vel centuriones, vel tribunos etiam ac duces censeamur. Quo si peruenire cupimus, ipsa militiae necessaria rudimenta atque principia fortiter constanterque nobis exequenda sunt, nec committendum, vt a lixis & calonibus vincamur, qui principes quoque eorum optant Christo adiuuante subiugare, vt quo difficilior fuerit victoria, eo maius quoque speremus praemium.

Ephesi. 6.

¶ De duobus tentationum generibus

Caput XVII.

TENTATIONUM autem duo sunt genera: Aut enim a deo tetamur vt pbemur, aut a carne & diabolo

O 2

psal. 45.

Iaco. 1.

Diabolus.

vt peccemus. Tentauit deus Abraham vt obedientissimum sibi esse ostenderet. Tentauit filios Israel, quemadmodum in Deuteronomio legitur, quadraginta annos per desertum deducendo, vt notum foret quantæ constantiæ sint in illis obseruandis, quæ sibi mandata præceptaque erant. Vnde in psalmo dicitur. Probasti nos deus, igne nos exanimasti, sicut examitur argenti. Igitur tentatio dñi, tentatio probationis est, non malitiæ neq; precipitationis. Quapropter Iacob apostolus ait, Nemo cum tentatur dicat quoniam a deo tentatur, & ne ambiguum relinqueretur de qua tentatione hoc diceret subiunxit: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat ad malum, vnusquisq; tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Tentatio ergo carnis & diaboli, semper prouocat ad peccandum. Quare de istorum tentationibus nobis assidue aduersariis nunc est tractandum: & prius quidem de ipsa diaboli tentatione, qui carni simul insidiatur & spiritui. Aperiamus igitur dolos eius tendiculaque & laqueos vt deprehensis inimici fallacis facilius euitetur mortis periculum, & certius vitæ æternæ bonum speretur. Hic est ille teterrimus Pharaon, qui nos vetat exire de Aegypto, seculiq; vanitatibus renunciare, et Moysen, sequi in desertum, ac tandem Iesu duce promissionis terram intrare. Hic est leo rugiens qui circuit querens quem deuoret. Hic est fur & latro qui non venit nisi vt furetur & mactet. Hic est deniq; lupus rapax, dominico ouili semper insidians, rapiens & dispergens, & nullo vnquam sanguinis haustu satiatus, nunc promissis allicit, nunc terret minis, nunc assentatione blanditur, nunc etiam verberibus compellit. Promissis quidem primos nostros prostrauit. Eritis inquit sicut dii scientes bonum & malum, & nequaquam morie mini. Minis autem grassatus est in martyres pariter & verberibus, cum idololatrias vt in eos desæuissent, concitasset. Primi nobis documento sunt, vt neque blandi-

mentis neque pollicitationibus eius ullam adhibeamus fidem. Secundi, vt omnia prius extrema pati parati simus, quam deo peccare, Nec bellum igitur minanti pareas, nec pacem offerenti credas. Pax eius pax Ismaelis est qui Godoliam amice inuitatum, nihilque mali suspicantem inter epulas interemit. Bello autem neminem superat nisi qui inductionibus eius assentit. Denique quicquid agit, quicquid molitur, eo tendere noueris vt fallat, cumque deceperit vt interimat, & quidem morte illa quæ semper cruciat, & mori cupientes mori nunquam finit. Idem signis etiam præstigiisque mentem hominis nititur obstupescere transmutatque se in angelum lucis vt cum dei angelum vel sanctorum aliquem esse credideris facere non dubites quod imperauit. Apparet aliquando sub specie comptæ formosæque mulieris, vt ad libidinem incendat, aliquando monstruosum & horribilem se ostendit, vt exterreat. Tu ergo tantæ malignitatis atque fraudis non ignarus diligenter animum aduerte, atque tecum tacitus examina quæ tendant eius verba, quid gestus exigant quò alienæ imaginis figmenta prouocent, & caue ne quid committas aut à fide alienum, aut ab honestate diuersum, aut voto castitatis contrarium neque vt susceptum pro amore dei vitæ perfectioris propositum vanis inimici terroribus agitatus derelinquas. Nihil tibi diabolus nocere poterit, quandiu tu cum deo tuo constanter ambulaueris, dicens: Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Fortior cunctis dæmonibus est, qui innocentiam seruat, & in deo confidit, Quod si etiã verus tibi de cælo angelus vel sanctus aliquis apparuerit, nihil offendes inquirendo an vere is sit qui videtur. Iesu Naue vir multæ pietatis atque fidei, cum visibili specie angelus ei occurrisset non dubitauit interrogare illum dicens: Noster es an aduersariorum? Nec ante iussus eius obediuit, quam quod angelus dei esset, compertum habuit. Gedeon quoque ad liberandum ab hostili vastatione populum electus angelum vidit, loquentemque audiuit, & tamẽ da mihi signum inquit, quod tu sis qui loqueris ad me, ac

Iere. 41.

Iosue 5

Iudicum 6

cepto autem signo, credidit. Vterque tibi exemplo sit, ne visis eiusmodi nimis cito fidem adhibeas, donec argumento aliquo tibi veritas constet. Tum si qua ad huc residua erit suspicio, illi q̄ ætate & sapientia præstant, erūt consulendi, ex eorum sententia iudicium faciendum. Arrogantis est, dubijs in rebus proprio sensu niti, & aliorum nolle audire consilia, facileque erroribus patet qui suæ semper plus tribuit, quam prudentiæ alienæ. Vbi autem non auri neq; argenti, sed quod his pretiosius est, animæ periculum imminet etiam turba metuere sapientis est.

Quod diabolo imminutæ sint vires. Caput xviii.

Iohan. 6.

Matth. 8.

Iob. 1.

Veruntamen si qua solito grauior ingruerit tentatio, non cadamus animis, imminutæ sunt diabolo vires in saluatoris nostri aduentu, ipso dicente: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras. Eiectus est enim de cordibus multorum qui idola colebant, desit ille nequam ita late regnare vt solebat, nec iam tantum in se confidentiæ alit licet arrogantissimus sit, & audito tantum Christi nomine cōtremiscit. Postremo ita ille diuinæ erga nos miserationis constringitur freno, vt nocere nisi permissus nequeat. Nam si expulsus ab homine intrandi in porcos non habuit potestatem donec concessit ipse cuius iussu pellebatur, q̄to minus offendere poterit hominem nisi deus voluerit. Bono igitur animo simus, & certissima vincendi spe ad pugnam accingamur. Dominus noster non sinet nos tentari supra id quod ferre possumus, sed faciet (vt apostolus ait) cum tentatione prouentum, vt possimus resistere. Permisit sane etiam patientissimum virum Iob tentari, & calamitatibus affici non vt diabolo faueret, sed vt hominis virtutē manifestam faceret. Non potuit inimicus neque opum rapina, neque filiorum orbitate, neque corporis in tabem conuersi morbo, illius vincere constantiam & quæ deicere sperabat ei maioris gloriæ adipiscendæ præ-

buit occasionem vt inter ærumnas beator fieret, quã
 tum prosperitatibus abundaret. Quis enim antehac pa-
 tientiam eius laudauit, quã postea omnes admirati sunt
 Hæc est igitur causa quare nobis dominus dederit ad-
 uersarium, quare ab eo nos tentari voluerit, vt videli-
 cet cum vicerimus, milites suos imperator benignissi-
 mus tanto magis remuneret: quanto magis prompte
 ac strenue certauerimus ad pugnam quippe non ad qui-
 etem in hoc terræ teatro missi sumus, vt neque for-
 tes nisi præcedentibus meritis mercedem accipiant, ne-
 que ignaui multam, nisi cum ab hoste victi apparue-
 rint. Non est otiosa dei militia. Placuit ei fideles suos
 laboribus, fatigationib. ærumnis, persecutiõibus, ma-
 lorum odijs iniurijsque experiri. Vnde angelus ad To-
 biam: Quia acceptus eras deo inquit, necesse fuit vt ten-
 tatio probaret te. Idcirco nec in oratione dominica pe-
 titimus ne tentemur, sed ne inducamur in tentationem
 & seducti viam salutis relinquamus. Quam rem peten-
 do aperte ostendimus, nos quidem ad repugnandum
 impares esse nisi ipse adiuuet, qui solus potest omnia, q
 etiam infirmitatem nostram miseratus, contra angeli
 mali vim atque versutias vniciq; nostrum angelum
 bonum dedit, qui regat, qui custodiat, qui a nequitia
 auocet, & occultis conscientia stimulis ad virtutes ca-
 pessendas impellat. Et si tâta est deo cura salutis nostræ
 vt suos angelos pædagogos nostros eëvoluerit, haud
 multũ timẽdus ẽ mortis machinator diabolus, quia sem-
 per vincemus, si semper angeli de cælo nobis missi: mo-
 nitis inspirationibusq; parebimus, & a dñi nostri man-
 datis nunquam discedemus, Omnem igitur vincendi
 spem in deo collocemus & quoties vincimus, ei soli vi-
 ctorię gloriam dedicemus ei gratias agamus dicamus
 q; cum psalmista: Tu humiliasti sicut vulneratum sup-
 bum, in brachio ytutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tob. 12.

psal. 88.

Quomodo vincitur tentatio. Ca. xix.

Inuidia diaboli mors introierat in orbẽ terrarũ, sed
 hac morte p Chm liberati sum⁹ et ad vitã, q̄ ppter
 p̄uaricationẽ primorũ parentũ amiseramus reuoca-

ti. Gaudebat inuidus ille sanctissimos etiam viros in infernum descendere, & quasi victor, quia primos vice-
 rat, de omnibus triumphare. Sed gaudium istud ver-
 sum est ei in luctum. Ligauit fortem fortior dominus
 & domum eius intravit, & vasa eius diripuit, suo ad-
 uentu absoluens illos qui in carcere vinciti tenebantur,
 de tenebris transferens in lucem. Quin etiam vulgata
 euāgelij vitate, regnū mūdi eripuit diabolo, quo ma-
 gis ille doleret, ne in gentibus quidem ius esse sibi reli-
 ctum, omnibus iam a falsa ad veram religionem con-
 uersis. Hac ergo potestate atque hoc regno priuatus,
 quid ageret, quo se verteret, nesciebat. Rursum tamē
 nouo fraudum genere vsus, in illorum q̄ conuersi erant
 cordibus (vt supra est dictum) inserere hæreres cœpit:
 vt in quibus idololatria iam defecerat, non deesset mē-
 dax de vera religione sententia. Atque ita non paucos
 quibus in credendo mens leuior erat, subuertit. Quos
 autem firmos ac stabiles in fide vidit, eos p̄nitiosā vo-
 lupratis illecebris ad peccandum prouocare cœpit, vt
 quos fidei defendit synceritas, mādatorum saltem trās-
 gressio condemnet. Nos ergo qui in Christum credi-
 mus, qui dei filium confitemur, tantæ in nos inimici in-
 uidia non ignari, quoties delinquendi concupiscentia
 mentem sollicitare cœperit, meminerimus dolos eē car-
 nificis nostri, nihilque agamus, in quo deum offendī
 nouimus, & ob quod si egerimus, de altitudine paradī
 si quam speramus, in abyssum inferni quam timeamus,
 deturbandos nos esse certum sit. Cum itaque molesti
 or difficiliorque sese ingesserit tentatio, & cordis inti-
 ma lacessere cœperit, tunc ieiunium nobis pro scuto fit
 pro gladio oratio, dicente domino: Hoc dæmonium
 non efficitur nisi in ieiunio & oratione. Nam & ipse
 dominus tunc ieiunabat cum tentatorem vicit. Et
 idem Vigilate inquit, & orate ne intretis in tentatio-
 nem. Apostoli quoque cum naufragium timerent, dor-
 mitentem illum clamoribus excitant. Adiuua nos
 (inquiunt) domine, perimus. Tunc ipso ventis flucti-
 busque imperante, facta est tranquillitas. Nulla est

igitur tam grandis tentatio, quam deum deprecando non vincas: & rursum nulla tam parua, a qua non superaberis proprijs viribus confidendo. Quare in deo sperans ora, & dic: Velociter exaudi me domine, deficit spiritus meus. Eripe me de inimicis meis ad te confugi. Doce me facere voluntatem tuam, quia deus meus es tu. Quod si sanctus propheta sic orabat, quomodo peccator poterit resistere, nisi & ipse instanter orauerit? Igitur quanto violentiorem motum intra te senseris, tanto ardentius auxilium inuoca. Iosaphat ab inimicis circumdatus, clamauit ad dominum, & illis protinus auersis periculo liberatus est. Ita & tu, si toto cordis affectu precatus fueris, inimici aduersum te machinamenta fratrum dissoluentur, teque omni molestia liberum ac pristinae quieti restitutum continuo cognosces, Cumque hoc tibi contigerit, deo gratias age, qui tam cito fatam pedibus tuis subiecit. Nisi enim ille opem tibi laboranti miseratus attulisset, nunquam vicisses. Tanta est autem domini nostri erga nos benignitas, vt etiam pro eo quod ipso adiuuante vincimus, remuneret victores, & suum beneficium in nostrum transire patiatur meritum, modo post victoriam ne insolescamus, sed humiles ac submissi de omnibus ei laudem demus, ita enim etiam pro his quae domino tribuerimus, ipsi praemium merebimur atque mercedem.

psal. 142.

2. Par. 18

De tentationibus carnis.

Cap. XX.

Nunc quoniam parus periculi est, a proprijs cupiditatibus per carnis blandimenta superari, qualiter cum his quoque nobis decertandum sit videamus. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: haec sibi inuicem aduersantur, vt non quaecumque vultis, illa faciatis. Haec Apostolus. Deinde quis vtriusque finis sit ostendens ait: Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, emulationes, irae, rixae, dissensiones, se-

Gal. 5.

N 5

Etæ, iuidiæ, homicidia, ebrietates, comesationes & his
 similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui
 talia agunt, regnum dei non consequentur. Expositis
 autem quæ carnis sunt, continenter enumerat quæ ad
 spiritum referuntur. Fructus (inquit) spiritus est, chari-
 tas, gaudium, pax, patientia, benignitas, mansuetudo,
 fides, modestia, continentia, castitas. Ex his perspicuum
 est, quanta sit diuersitas inter carnem & spiritum, cum
 alteri vitia, alteri tribuantur virtutes. In medio istorū
 animalibetate sui arbitrii vtens in quam partem volu-
 erit, potest conuerti. Sed si carni consenserit, regnū dei
 non possidebit: sin vero spiritum suum, id est, innatum
 sibi rationis lumen secuta carnis appetitionibus repu-
 gnauerit, victo aduersario mercedem capiet æternæ be-
 atitatis. Quamobrem spiritu, inquit, ambulate, & desi-
 deria carnis non perficietis: hoc est, bonum quod ratio
 suadet, mali cupiditas ne destruat. Qui enim sunt Chri-
 sti, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupi-
 scentijs. Quos ergo concupiscentia superat, & quibus ca-
 ro dominatur, hi non sunt Christi. Neq; enim fieri po-
 test, vt aliquis & seruus Christi sit, & victorum manci-
 pium. Si spiritu, inquit, viuimus, spiritu & ambulem⁹.
 Qui sit autem iste spiritus, quo viuimus, declarat sal-
 uator in euangelio, dicens: Verba quæ ego locutus sum
 vobis, spiritus & vita sunt: caro non prodest quicquā.
 Domini igitur nostri præcepta spiritus & vita sunt, ea
 obseruando viuemus, carni autem quæ non prodest,
 consentiendo mori necesse est. Caro enim absq; spiri-
 tu viuere non potest. Tunc autem absque spiritu est,
 cum a mandatis diuinis se auertens propriam sequitur
 voluntatem, & pecudum more præsentia appetit, fu-
 tura non considerat: visibilibus amore capitur, inuisibi-
 lia contemnit, neque quod ratio discernit. sed quod ap-
 petitio suggerit, sequitur. De qua carnis violentia con-
 queritur Dauid, & ait: Miser factus sum, & curuatus
 sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar,
 quoniam lumbi mei impleri sunt illusionibus & non
 est sanitas in carne mea. Et Apostolus: Condelector

Iohā. 6

Psal. 37

(inquit) legi dei secundum interiorem hominem, vi-
deo autem aliam legem in membris meis, repugantem
legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ
est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit
de corpore mortis huius? Gratia dei per I E S U M
C H R I S T U M dominum nostrum. Igitur ego
ipse mente seruo legi dei, carne autem legi pecca-
ti. Quæris quare contrariæ inter se voluntatis sint
spiritus & caro? quia caro ex Adam qui peccauit propa-
gata est, animam vero & spiritum non ab Adam, sed a
deo accipimus. Idcirco spiritus expetit ea quæ deo pla-
cent, caro autem magis illa concupiscit, quæ ipsam de-
lectant & ad peccandum est prona, quia traducitur de
peccato tantaque eius vis est aduersus spiritum, vt lu-
ctanti repugnare spiritus ipse per se non sufficeret, nisi
virtus diuina quæ illum creat et creando infundit, & in-
fusum conseruat, etiam periclitantem adiuuaret. Quis
me liberabit, inquit Apostolus, de corpore mortis hu-
ius? hoc est, de corpore in quo primi parentes nostri cum
non obedissent deo, mortui sunt, respondet & ait, Gra-
tia dei per Iesum Christum. Nos igitur in Christum cre-
dentes, a carnis violentia non nostræ vires, sed diuina
liberat gratia. Quamuis autem ab Adæ maledictione
tunc absolui mur, cum in Christo per baptismum rege-
neramur, manet tamen in nobis fomes peccati, vt hi qui
Christi sunt in certamine suæ carnis probentur, & qui
vicerint eo ascendant, vbi æternæ pacis ineffabili bono
perfruantur, Hac tanta ergo proposita mercede constan-
ter pugnemus, & omnes perniciosæ cupidinis ictus per-
seueranti conseruandæ innocentie studio irremus.
Quod si & a bestiis & ab hominibus & ab omni pror-
sus periculo nos defendimus actuemur, ne vitam istam
breuissimam ac miseriarum plenam amittamus, quan-
to acrius improbis presentium voluptatum appeti-
tionibus renitendum est pro vita illa felicissima & im-
mortali quam talium appetitionum victoribus in mer-
cedem tribui certissimum est.

Roma..7

Queris quare
caro aduer-
setur spiri-
turi.

De remedijs contra carnis tenta-
tamenta. Caput XXI.

ET quoniam malum illud quod caro suggerit, cogitatio concipit, cogitatio ipsa quamprimum cohibenda est, ne pariat quod conceperit. Vipereum intra te factum ne finas crescere. Solet adultus venena effundere, & animam hominis enecare. Protinus abigete stiferam cogitationem dum paruula est. Dum paræ virium habet, non difficulter opprimitur, sponso in can-
ticis dicente; Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, & vineæ nostræ florebut. Cum enim vitio sa extinguit cogitatio, animus ad prosequendum virtutum propositum vegetatur, & saluberrimis vitæ fructibus exhuberat. Cæterum si malarum cogitationum insultus non ita crebros, neq; ita vehementes pati desideras, claude fenestras sensuum tuorum, per quas mors ad animam ingredi consuevit. Auerte oculos ne videant vanitatem Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Pone ori tuo frenos, ne in verbo labaris, neq; gulæ aliquid vltra necessitatem indulgeas. Naribus odora menta luxuriæ subtrahe. Manus contine, ne quem iniuste offendas. neue quid impudice tangas, deniq; modis omnibus obserua & caue, ne extra nei portas Hierusalem ingrediantur. i. animæ tuæ domicilium. Et si ingressi fuerint, cura vt expellantur: ne que malignos cogitatus ibi remorari finas, vbi cū inualuerint, perniciem generant. Veruntamen sæpe fit, vt ipsi cogitatus etiam inuis nobis ingerant sese, & suapte vi ab ijs quæ iusta atq; honesta sunt, auertere animum nostrum tentent, ac quemadmodum paralyticus ille in euangelio, qui portabatur, non poterat præ turba offerri saluatori vt curaretur, ita nobis cogitationum quandoq; officere solet congeries, vt non quod volumus, sed quod nolumus, animo voluamus: tunc inter orandum quid lingua loquatur, mens non attendit & cum corpore in ecclesia simus, animo foris per diuersa vagamur. Huic ingruenti turbæ totis viribus renitā

Cant. 2

Mar. 2

debet, & non cedere, neq; si mali quicquam suaserint cō
sentire. Quod vt succedat, eorum industriam, qui para
lyticum gerebant, imitari oportet. Illi recto domus in
qua Christus erat, patefacto, ægrotum coram Iesu sub
miserunt, & morbo receperunt liberatum. Nos quoq;
abiecta terrenarum rerum cura, culmen cælestis con
templationis inscendamus, & per ea quæ creata sunt,
mente ingressi inueniemus creatorem, & cum inueniri
mus, ei nos reuerenter submittamus, vt quod altitudo
meditandi contulerit, humilitas deiciendi sese conser
uet, & mens iam sanata gaudeat se iam obstantis turbæ
impedimenta non sentire. Quanto minus mortalia cu
rabimus, tanto etiam minus cogitationum secularium
stimulis inquietabimur. Quisquis autem ab his crebro
ac frequenter sollicitatur, reor q; nondum vt debet, se
culo renunciauerit, sed aratrum tenens adhuc post ter
gum respiciat, si non respiceret, non iam præterita ne
que præsentia, sed futura cogitaret. Abscindamus igitur
& proiciamus procul a nobis membra scandalizan
tia, nulliusq; rei afficiamur studio, quæ propositum vi
tæ sanctioris turbet, & charitatis ardorem, quem deo
debemus, restringat. Si oculus dexter scandalizat te, e
rue eum, si manus dextra, abscinde illam. Membra ista
carnales affectiones sunt, quibus quidem si dextræ fue
rint, non illicitè vtimur, veruntamen si a spiritali con
templatione vel actione auocent atq; interpellent, re
pelli debent. Quæ enim propter se licita sunt, si vna cū
illis meliora periclitantur, illicita erunt. Quod si ea etiā
quæ dextra sunt, quoties impediunt, abscindi iubeantur,
quanto magis illa quæ sinistra sunt, id est, quæ mala
sunt, declinare ac fugere debemus, & eisdem neq; oculū
intendere, neq; manum porrigere, vt neq; cogitemus
aliquid prauum, ac detestabile, neq; faciamus. Restat
igitur vt & malis præferantur bona, & bonis meliora
si ad summum bonum volumus peruenire. Cum præte
rea continentiam semper oppugnet lasciuia, & libera
litate avaritia, & humilitatem ambitio, & breuiter p
bitatem nequitia, assiduum nobis cum vitijs bellum est

Mat. 5.

Iohel. 1.

Nunquam igitur quiescamus, semper repugnemus, quā diu repugnamus, vincimus, quoties autem quiescimus, non quiescente aduersario superamur, irruentibus malis dissipantur bona, nihil quod homini illi relinquitur, qui carnis cupiditatibus vltro se subiicit, euenitque ei quod dictum est per prophetam. Residuum erucae comedit locusta, residuum locustae comedit brucus, residuum bruci comedit rubigo, aut quid boni in illo remanere poterit, cui vitia dominantur? Strenuus autem & accinctis, assidueque contra improbae voluptatis illecebras luctantibus tuta sunt omnia. Neque enim superseminatur zizania in medio tritici, nisi cum otio dediti dormimus, & a custodia bonae frugis cessamus. Atque ideo sane vigilare & orare nos iubet dominus, ne tentationibus succubamus, hoc est diligentes esse & intētos, & sollicitos, ne per desidiam spiritus caro, quae ancilla esse debet, dominari incipiat, & praeualere permittatur. Madian aduersus Israel, is videlicet qui se cultui dedicauit diuino, subuerti sinatur a nequitia.

De reparatione lapsi. Cap. XXI.

Eccl. 9.

Eph. 6

CAeterum si quādo victi superatique fuerimus, ad poenitentiae remedia conuertamur, nec desperemus aduersus victores victoriam, si ab his quibus manum dedimus, deficere voluerimus atque ad illa transfugere, quae insipienter dereliquimus. Tunc enim speciosa deserti, quae peccatorum ignis absumpsit, rursus germinare & bonorum operum fructu abundare cernemus. Ciuitas a rege magno obsessa (vt Ecclesiastes ait) a paupere viro, sed sapiente liberata. Quis autem pauperior illo qui vitis seruit? quis sapientior quam qui ab his dum licet fugit, & ad studium se conferat virtutum? Sed ne rursus in eodem luto more porcorum relabamur, non otiose neque segniter est agendum. Nam sicut per negligentiam victi fuimus, ita per sedulitatem curaque certandi vincemus. Cuius rei nequaquam ignarus Apostolus admōet & ait, State succincti lumbos in veritate, & induite lorica iustitiae, & calceati pedes in praeparatio.

nem euangelij pacis, in oibus sumentes scutum fidei, in
 q̄ possitis oīa tela maligni ignea extinguere, & galeam
 salutis assumite, & gladium spūs, q̄d est v̄bum dei p o-
 mnem orationem & obsecrationem, orantes omni tem-
 pore in spū, & in ipso vigilantes in omni instātia. Pro-
 fectio q̄ armis istis contra carnis infestationes dæmonū
 que dolos munitus fuerit, sicut mons Sion nō mouebit
 in æternum. Erit veluti turris fortitudinis a facie inti-
 mici, & tanq̄ nauis validis compacta trabibus, p̄trān-
 siens mare istud magnum & spatiosum, nec fluctibus
 fracta, nec pcellarum turbine subuersa. Si q̄n tñ ingra-
 uescere carnis pugna, spiritumq̄ vehementius lacessere
 cœperit, caro ipsa tenuanda erit ieiunio, fatiganda la-
 boribus, domanda vigiliis, oratio nunq̄ pernoctatio-
 nibus quasi vinculis constringenda. Durum erit illi cō-
 tra huiuscemodi stimulos calcitrare. Lasciuienti iumen-
 to adde onus, & quietius incedet, subtrahere aduersario
 vires, & desinet esse molestus. Semper aut̄ obstandū est
 principiis. Inueterata enim difficiliter corriguntur, no-
 uella euellunt facilius, euulsaq̄ arescunt. Præterea & lo-
 cum illum & hominem q̄tum potes declina, in q̄ vel de-
 linquendi periculum, vel exercendæ v̄tutis impedimē-
 tum times. O o fugite, inq̄t dñs, de terra aquilonis, de
 terra utiq̄ in qua charitas friget, & abūdat malitia, de
 terra in qua nihil agitur, nihil dicitur, nisi quod ad cor
 poris pertinet voluptatem, & præsentis luxuriæ irrita-
 mentum, & multorum scelerum incentiuum. Raro tibi
 cum seculi amatoribus miscendus est sermo, quia collo-
 quia mala corrumpunt bonos mores, rarius cum fœmī-
 nis. Primam fœminam decepit diabolus, illa virum. Dī-
 aboli ergo laqueus est fœmina. Quem diabolus per se
 non potest capere, per illam capit, fugiendo melius vi-
 tabis hoc periculum, quam resistendo.

Zach. 3

¶ Oratio contra tentationē carnis
 & post victoriā actio gratiarum.
 Cap. XXIII

Sed quoniam quocunque fugerim⁹, carnis nostræ
 lucta carere nequimus, in omni carnalium tentati
 onum discrimine, ad orationum subsidia confu-
 gere tutissimum erit. Ad dominum igitur supplices cō-
 fugiamus, quia dominus fortitudo plebis suæ, & prote-
 ctor saluationum Christi sui est. Vim patiens loquatur
 spiritus & dicat. Eripe me de inimicis meis domine, ad
 te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia deus
 meus es tu. Ab homine iniquo & doloso erue me, ab ho-
 mine isto exteriori, qui interiorum hominum ab simili-
 tudinem tuam factum, inique & fraudulenter quærit
 subuertere, per voluptatis illecebras, per concupiscen-
 tiæ blandimenta trahere me nititur, vt peccem tibi &
 peream. Ab his ergo mei tutique aduersarij insidijs libe-
 ra me. Esto mihi in deum protectorem, & in locū mu-
 nitum, vt saluum me facias. Ventum domine validum,
 quo in diuersum impellor, metuo, & iam inter fremen-
 tes vndas mergi incipiens, ad te clamo. Tu igitur mise-
 raturus dexteram tuam extende, & sicut Petrum cum flu-
 ctibus operiretur saluasti, ita me de pernicie carnalis
 suggestionis ereptum tibi restitue, vt tuam potius vo-
 luntatem quam meam faciam. Nostra enim voluntas
 perdit nos, tua vero saluat semper. Fiat voluntas tua si-
 cut in cælo inter sanctos, ita & inter nos in terra, vt tu
 is parendo mandat is, ad te in cælum ascendere, & non
 eis contraria operando in profundum demergi merea-
 mur. Si sic oraueris, non frigide, sed ardentem, non pro-
 terue, sed humiliter, tentationum constrictus angustijs
 exaudiet te dominus, & non dabit in commotionem pe-
 dem tuum, neque dormitabit qui custodit te. Petite, in-
 quit, & accipietis. Quid tu postulare pigritabis, cum idē
 dominus & rogari velit, & quod pie rogatur, prom-
 pte se daturum promittat? Si sicut decet supplicaueris,
 circumdabit te scuto veritas eius, non timebis a timore
 nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambu-
 lante in tenebris, ab incurso & dæmonio meridiano.
 Ipse enim dominus de illo qui fideliter orat, & constā-
 ter sperat, respondens ait. Quoniam in me sperauit, li-

Psal. 140.

Psal. 90.

Ibidem.

berabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum: clamauit ad me, & ego exaudiam eum: in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum. Exauditus autem non solum carnis concupiscentias auertes atque fugabis, verum etiam virtutibus magis proficies. Testatur hoc propheta ad deum dicens: In quacunque die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem. Omnemque difficultatem ab eo adiutus ipse idē superaturum se affirmat, cum ait: A te eripiar a tentatione, & in deo meo transgrediar murum. Ille ergo postulationibus tuis annuens, dicit: Et stabit spiritus procellæ, ipse imperabit ventis & mari, & obedient ei, & turbulentos motus conuertet in tranquillitatem. Ille p̄ cantibus & periculum formidantibus continuo aderit, dicens, Ego sum, nolite timere. Tunc tu naufragio imminenti liberatus, gratias age liberatori, cuius opera factus es te ipso fortior, atque aduersus lasciuientes malorum cupidinum titillationes inuictus. Ad ipsum igitur mente conuersus dicas, Benedictus dominus deus qui non dedit nos in captiōem dentibus eorum. hoc est, in prædam voluptatum illecebris, delinquentisque vitiorum, quibus tu impugnabare, vt domino tuo peccares, & cæli terræque conditoris maiestatem offenderes. Ad hæc, quoniam diuinis quoque disciplinis instructus vincere didicisti ne ingratitude arguaris, illud quandoque tecum repetas, Benedictus dominus deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus & liberator meus, in ipso speraui, qui subdit populum meum sub me, id est, qui carnem meam meo seruire sp̄i cōpellit. Nisi enim ipse certare doceret, ipse p̄tegeret, ipse liberaret, ipse aduersarios n̄ros nob̄ subiceret, fragilitas nostra neque carnis passionibus præualere, neque dæmonum laqueos euadere vnquam potuisset. Ingratus est igitur tentationum victor, qui deo acceptum non refert q̄ vicerit. & si laudem victoriæ sibi arrogare non dubitet, victus est temeraria inanis gloriæ cupiditate, dumq; se non lapsum fuisse glo-

Psal. 137.

Psal. 18.

Psal. 143.

Pfal. 115.

riatur, labitur & delinquit. Vnde abhorrens ab ista iactatione sanctus propheta Dauid, clamat, Nō nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Si vicisti humilitatem conserua, & ad dei tui miserationem refer, quod non succubueris. Quale autem victoriæ huius meritum sit, audi, Saluator noster tentatus vicit, dī scessit ab eo diabolus, accesserunt angeli & ministrabāt ei. Quod præcessit in capite, cur non speremus euenturum in membris? quandoquidem quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse memorantur. Tentationum igitur victorem dæmones timebunt, angeli comitabuntur & custodient. Veruntamen non semel aut pluries vicisse proderit. vsque in finem vitæ producenda victoria est, vt tādē a domino mereamur audire, Vos estis q̄ permanistis mecū in tētationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meā in regno meo. Non est autem esca neque potus regnum dei. Edemus ergo & bibemus non corporalia, sed spiritalia alimenta, diuini conspectus perennem & nunquā defuturam dulcedinem, ineffabilisq; claritatis gloriā. & hæc quidem erit militiæ nostræ merces, si modo victores & non victi de isto certaminis cāpo, in quo nūc positi sumus, decesserimus.

Lucæ. 22.

Quod oportet nos conformari
Christo. Caput. xxiii.

Hūilitas.

ATque is demum & vitia calcabit, & virtute proficiet, qui quotidie Christi domini gesta considerabit, & per eius vestigia ingrediens ipsi quam proxime accedere contendet. Exemplū, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Primum igitur in omnibus humilitatem seruemus. Hic enim qui dei filius erat, dignatus est fieri hoīs filius, q̄ deus erat, factus est hō. In Bethlehem exiguo oppidulo nasci voluit, & qdem non in hoīm habitaculo, sed in pecudū stabulo; non in cunis colore diuerso picturatis auroq; linitis, sed in præsepio ad præbenda iumentis pabula lē

tis viminibus centexto. Cumq; esset dominus oim, a ser-
 uo voluit baptizari, ac de seipso dixit: Fili⁹ hois venit
 non vt ministraretur ei, sed vt ministraret. Aplos non
 de stirpe nobiliū, sed piscatorū genere sibi adsciuit, &
 eisdem pedes lauit. Hierosolymā intraturus, veterinum
 animal asinam ascendit: & cum p salute mūdi mori vel-
 let, despiciatissimum mortis genus elegit crucem. Talia
 ergo nobiscum sæpenumero reuoluentes, nec de stir-
 pis claritate gloriemur, nec vulgaribus coæquari eru-
 bescamus, cum omnium vnus creator sit, atque vnus pa-
 ter deus, omnium vna generis conditio, vna humanita-
 tis natura, vna regenerationis gratia, cum denique nul-
 lum sit hominum apud deum discrimen, præterquam
 vitæ ac morum. Quanto autem se quisque magis hu-
 miliauerit, tanto magis merebitur exaltari. Ab eodem
 obedientiæ quoque peramus exempla. A parentibus
 quæ situs respondit: Quid est quod me quærebaris? Ne
 sciebatis ga in his q patris mei sunt, oportet me esse?
 Hoc ideo, vt prius obedientiam præstemus deo, secun-
 do autem loco parentibus obtemperemus, quibus & i-
 pse se submiserat, teste euāgelista, qui subiungens ait:
 Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat sub-
 ditus illis. Veruntamen si quid iusserint parentes, quod
 legem offendit diuinā, deo potius pareas quā illis: vel
 si nō officit legi, & tñ tibi ad obsequendū, deo impedi-
 mento est, dimitte parentū imperiū, & ad seruitiū deo
 pstandum cōuertere. Non est, inqt, me dignus, q psem
 aut marrē plus q me diligit. Ad obediendū deo inuitat
 cū ait, Meus cibus est vt faciā volūtatem eius, qui misit
 me, vt perficiā op⁹ eius. & iterū, Nō qro volūtatem meā
 sed volūtatem eius q misit me p̄is. & ad psem, Nō mea
 volūtas, inqt, sed tua fiat. Hic discat monachus, se nō eē
 suæ volūtatis, sed corū q p̄sunt monasterio, vt nō quod
 ipse deliberat faciat, sed qd illi cōcesserint. A dño dis-
 camus & patientiā, Odia Iudæorū æquo aīo tulit, q̄s 7-
 no ybo omnes p̄dere poterat, ab his, pbra, maledicta, vi-
 cula, flagella, verbera, contumelias, alapas atque sputa
 sustinuit, ab his coronari spinis, clauis in cruce confi-

gi, felle & aceto potari, lancea confodi & occidi passus est. Quin etiã isdem qui sibi talia tam immaniter inferebant, vt ignosceretur, patrem orauit. Si ipse iustus ab iniustis tanto ludibrio habitus, tam impie dilaceratus, vindictam non appetiit, sed dimitti eis postulauit, cur tu peccator inimicis tuis irasceris, & ad vlciscendam iniuriã exardescis, cui nulla iniuste queat irrogari, cum quotidie domino tuo pecces, nec tantum offensæ passus es, quantum delicta tua atque peccata merebantur? Quoties ergo mali aliquid patimur, protinus ad conscientiam scelerum nostrorum recurramus, & cum non immerito id nobis accidere cognouerimus patienter toleremus, & domini nostri exemplo pro inimicis etiam nostris oremus, pro malo reddentes bonum, pro iniuria beneficium. Sic nostra nobis remittentur peccata, & patientiæ virtus præmio maiore cõpensabitur: & mala quæ passi sumus, in nostrum commodum conuertentur. Sed eorum quoque quæ benefacimus, iactantiam vitare a domino discamus. De monte descendens, mundato leproso iniunxit ne cui diceret. Cæcis etiam sanatis, Videte (inquit) ne quis sciat. Et cum plurimos vario morborum genere laborãtes curasset, ne ipsum manifestum facerent, præcepit. Cumque puellam mortuam ad vitam reuocasset, taceri iussit. Nonnulli ex discipulis adhuc terrena sapientes, Manifesta te inquitunt mundo. Ille autem ostendens quod non quæreret mundi gloriam, sed mundi salutem, dixit, Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. Hic gloriam suam non quæsiuit, q se vltro ignominia ab impijs perterenda exposuit. Ille tamen gloriam eius quæsiuit, qui cum illo erat. Glorificauit enim deus hominem quem assumpsit, a morte suscitando, in cælum transferendo, quod semel assumpsit nunquam dimittendo, adorandum & angelis & hominibus proponendo. Iudicauit autem iudicio damnationis Iudæos incredulos, & gẽtiles in errore obstinatos, & fideles fidem opere destruẽtes. Quod ergo non quæsiuit gloriam suam, ad humanitatem pertinet, quod

Iactantia
vitanda.

Lucæ. 8.

Iohan. 8.

autem quaesierit & iudicari, ad diuinitatem refertur. Quamuis enim humanitas & diuinitas vna persona Christi sit, saepe tamen & dicere aliquid & facere illi placuit quod non erat utriusque naturae commune, ut per ea quae hominibus sunt, hominem agnosceremus, & quae dei, deum. Nam in Christo vel hominem sine deo, vel deum sine homine confiteri, haereticorum impietas est. Cum igitur dixit se gloriam suam non quaerere, nobis insinuauit, ne hominum plausus laudationesque venimus, sed in omnibus ut deus laudetur curemus. Qui enim ab hominibus gloriam quaerunt, gloriam veram ac stabilem, quae a deo est, accipere non merentur. Ad haec obseruandae paupertatis domini exempla nobis abunde suggeruntur. De virgine paupercula nasciturus, non habuit locum in diuersorio editur in stabulo, reclinatur in praesepio. Iam in aetate adulta, nihil se habere confitetur, & ait, Vulpes foueas habent, & volucres caeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Et cum portorium extigeretur non fuit soluendo, donec piscis captus in ore didrachmam attulit, qua ipse satisfecit. Bestiis imperabat, & inter pauperes censeretur volebat. Per domos alienas discurrens hospitabatur, quia suam non habuit, mulierum comitantium elemosynis alebatur, in cruce nudus pendit, mortuus etiam aliena inuolutus est syndone, alio eno conditus sepulchro. Beatos vocat pauperes. & apostolis ne quid ferrent in via, praecipit, non virgam, non peram, non panem. Prohibuit eis calciamenta, prohibuit duas tunicas, & Nolite (inquit) solliciti esse quid manducetis aut quid bibatis, aut quid induamini. Quaerite primum regnum dei, & haec omnia apponentur vobis. Qui ergo propter Christum in terra pauper est, cum Christo diues erit in caelo. Gloria enim & diuitiae in domo eius. Victu quoque modico ac tenui, & qui corpus tantum sustentet, contentus erit quod Christum imitabitur. Per dies quadraginta ille neque comedit, neque bibit, postea (ut euangelista ait) esurijt. & tunc quidem diaboli maligna tentamenta vicisse describit, ut noscamus ieiunio & esuritione opus esse, si carnis illecebras daemonumque captiones

Matt. 2.

Matt. 17.

Luc. 9.

Matt. 6.

Parfimo-
nia.

Matt. 4.

- Mat. 26.** cupimus superare. Ante mensam gratias agit post mensam hymnum dicit, vt semper deum laudemus, cuius donum est & cibus quo vescimur, & vita qua viuimus
- Iohan. 6.** Panes hordeaceos habebat cum pauit turbam, inquam ad bibendum a Samaritana muliere petiit, ne rudes fastidiamus cibos, neque vina deliciaiora exquiramus.
- Iohan. 4.** Carnem nisi in paschate non comedit minutis pisciculis vsus est. Erubescant, qui paupertatem professi, diuitum dapibus delectantur. Ne autem vilia contemnamus alimenta, fel & acetum in cruce positus gustauit, denique beatos dicit esse esurientes, quoniam saturabuntur, & econtrario: Væ vobis inquit, qui saturati estis, quia esurietis. Nunc tandem ad charitatis conuertamur
- Charitas.** documenta: Pro hominum salute de cælo in terram descendit, deus homo factus est, labores, vigiliis, supplicia pro nobis tolerauit, pro nobis mortuus est, pro nobis ad inferos descendit, pro nobis resurrexit, pro nobis in cælum ascendit. Postremo nihil vel dixit vel fecit quod non eo spectaret, vt æterna nobis donaretur beatitudo. Matthæum de publicano apostolum, Petrum de negatore cælestis regni clauicularium, Paulum de persecutore fidei fecit propugnatorem, mulieris peccatrici peccata dimisit, & non veni (inquit) vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam. Denique pastor bonus animam suam posuit pro ouibus suis: et quos dilexit vsque in finem dilexit eos. Quia nihil prodest diu diligere, nisi semper diligas. Et sicut (inquit) dilexit me pater ita dilexi vos. Et qui diligit me, diligetur a patre meo.
- Iohan. 13.** Tunc autem & Christum diligimus, & a deo patre diligimur, cum ipsum quem peccando offendimus, poenitendo placamus. Porro cum etiam inimicis nos benefacere beneque optare iuberet, hoc prior ipse præstitit, illis a quibus conuitia, vincula, flagella, colaphos, verbera, spinas, clauos, fel atque acetum inique passus fuerat, ignosce postulans, & scruitiam illorum sui ignoratiõne excusans, vt postea cognita veritate locum haberent poenitiæ & non perirent. Non est itaque Christi discipulus qui bonum pro malo nescit reddere, &

pro inimicis quoque suis deum deprecari. Eiusdem do-
 mini exemplo discamus, non nostræ tm̄ salutis, sed etiã
 aliorum prospicere. vitæ disciplinis eos imbuendo, & ex
 hortationibus pijs vt ad virtutis viam dirigant solici-
 tando. Circuibat ille totã Iudæam, totam Galilæam, p-
 castella & vicos, docens ignaros, & verbo curas a gro-
 tos vt corpe simul & aïo saluos redderet. Præcepta de
 dit discip. in mōte, in planitie plebi, vt discas aliores
 mysteriorum sensus illis q̄ magis capacis ingenij sunt
 prædicare: simplices vero simplicibus vitæ præceptis
 instruere, ac ne forte pretij alicuius gratia id agat, sed
 affectu salutis eorum quos doces, gratis accepistis (in-
 quit) gratis date, Accipere tamen ab offerentibus quan-
 tum victui necessario satis sit, si indigueris, ne nefas pu-
 rares ait, Dignus est operarius mercede sua. Prædica-
tio.

Mercede videlicet quæ inopiæ succurrat, non quæ lu-
 xuriam paret. Porro sicut ipse docuerat, ita discipu-
 lis suis prædicationis officium imposuit dicens: Euntes Matt. 10.
 docete omnes gentes seruare omnia quæcunque man-
 dauit vobis. Optimi itaq; Christi imitatores illi sunt,
 qui faciendis ad populum bene beateq; viuendi sermo-
 nibus operam impendunt: & quod alios docent, ipsi p-
 stant: ne bonũ quod verbo ædificant, morum dissimili-
 tudine destruant. Cælebs præterea & castus sit oportet
 Christi discipulus, virgo est, & de virgine genitus
 & a virgine baptizatus, quæ sequeris: vt que scias quanti
 sit apud ipsum virginitas de Iohanne apostolo q̄a vir-
 go erat, in euangelio dicitur, Discipulus ille quem dili-
 gebat Iesus. Nam licet Iesus etiam reliquos omnes dili-
 geret, de nullo tamen sic est expressum, sicut de isto
 quem mentis corporisque puritas commendabat. Ibidem.

Hic solus in sinu C H R I S T I cunctis ad mensam se Mat. 13.
 dentibus recubuit, quia solus fortasse intemeratæ vir-
 ginitatis laude illi proximior erat. Præcellit autē vir-
 ginitas viduitati, & viduitas matrimonio. Quandoq;
 de euangelici seminis ceteris fructus ascribit virgini-
 tati, sexagesimus viduitati, tricesimus matrimonio. In
 Apo. etiam illi qui sequuntur agnũ quicumq; ierit, & can Apo. 14.

- ticum nulli alij cantabile concinunt, virgines esse memorantur. Porro ipse saluator vt monstraret, præcipue castis deberi regnum dei, Sunt eunuchi inquit, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, hoc est q̄ nubiendi libertatem in ppositum verterunt castitatis quo purius expeditiusque deo seruirent, & cum angelis in cælo socij essent, qui angelicã vitam in terra vixissent, de quibus est dictum: neq̄ nubent neque nubentur sed erunt sicut angeli dei in cælis. In eo quoque dominus continentiam seruus suis viderur imperasse, quod apostolis præcepit, vt lumbos præcinctos haberent. In lumbis quippe generandi semina sunt, qui autem in carne seminat, de carne & metet corruptionem: sed qui seminat in spiritu, de spiritu & metet benedictionem. Preces etiam qualiter deo sint offerendæ, nobis documento est dominus noster. Orandi enim rationem, quam verbis monstrauit, opere perfecit. Orare iubet in abscondito, & ab illis quæ impedire possent separato loco, vt mens tunc magis intenta esset cælestium contemplationi cum ipsum cæli terræque regem lingua serui alloqueretur. Ideo saluator quoque noster dimissa turba montem ascendens solus orauit, & iterum, Sedete hic inquit donec vadam illuc & orem. In monte autem orauit vt orando postulemus non terrena quæ in imo sunt, sed quæ in alto cælestia. Quod vero etiam in villa Gethsemani orasse dicitur, docemur inter orandum seruandã esse humilitatem, atque ideo & positis genibus orasse, & ad orandum in faciem procubuisse. Quod præterea patrem precatus ait: Non sicut ego volo fiat, sed sicut tu: significauit vt in omni postulatione nostræ voluntati præferamus dei voluntatem. Tertio autem eundem sermonem orauit, ne tibi cessandum putes, si tam propeere quam velles non fueris exauditus. Ad hæc in Marco scriptum est, quod valde diluculo surgens abiit in desertum locum, & ibi orabat, & in Luca, quod noctibus exiens in monte oliueti morabatur, quodque pernoctabat in oratione. In quo quidem & tempora & loca orationi magis accommoda nobis requirenda esse innuit,
- Matth. 14.**
- Mat. 22.**
Lucæ 12.
- Oratio.**
Mat. 15
- Mar. 15.**
Matth. 26.
- Ibidm.**
- Mar. 14**
- Mar. 1.**
Lu. 6.

vt autem perseverantius oremus factus in agonia prolixius oravit. Sublatis quoque in cælum oculis orasse traditur, vt & tu dum oras, mentis oculos ad deum cui supplicas, intendas & non alio verba, alio cogitationes ire sinas. Parū efficax est lubricæ vagæque mentis oratio, & non illuc intentæ ubi vult exaudiri. Ac ne singula perquirere nimis prolixum sit, omnium virtutū, omnisque sanctitatis cum præceptum tū exemplum, a salvatore nostro ac domino, & tutius petitur & iucundius consideratur. Christus enim quia veritas est non errat, quia bonitas est, non fallit, quia sapientia est nouit omnia, quia virtus dei est potest omnia, quia denique saluatio populi sui est, quicquid egit, quicquid dixit, ad omnium spectat salutem. Seruiamus igitur illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris, memores beneficiorum suorum, atque assidue nobiscum recolentes ea quæ non solum verbis docuit, sed etiam re atq; opere probauit, vt his instructi eidem quantum fieri potest similes effici curemus, & cuius virtutes imitati fuerimus, eius beatitatis atq; gloriæ participes esse mereamur.

Lucæ, 22.
Iohan. 11.

Omnium
virtutum
exemplum
vnus Christi
us.

De consortio fugiendo. Ca. xxv.

Conferet plurimum ad vitæ sanctioris cultum, nosse quorum cōsuetudine vti debeas, quorum non debeas; cum quibus conuiuere, colloqui, cōuersari, quos declinare ac fugere oportet. Relinquendi sunt, quorum tibi nota fuerit peruersæ mentis pertinacia (id est) qui vel errorem suum deposituri nō videntur, vel a scelere in quo perseverant recessuri. Nocuit Israelitico populo habitasse cum AEGYPTIIS. Inde enim Moysse duce egressi ritu eorum viuere volebant, crapulari, ludere, dijs gentilium sacrificare, atque hæc causa fuit, vt posteri quoque eorum toties inimicis subiecti seruirent. Recte itaque dicitur: Filij abominatiōum sunt filij peccatorum, & qui conuersantur secus domos impiorum. Contagione quippe trahitur vitium si conuersaris cum vitioso, ac veluti pestilentiae

Eccle. 41.

Iere. 57.
Osee 4.

Mat. 0. 16
2. Cor. 6.

Ad Tit. 3

2. Iohan. 1

Mat. 18.

morbos afflatu' tactuque ægrotantis inficere solet sanos, ita infidelium familiaritas plerūq; fideli viro perniciem parit. Idcirco per os Ieremiæ clamat nobis dominus: Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suam, & per os Osee: Nolite ingredi in galgala, & non ascenderitis in Bathauem, loca videlicet profana Idolorumque polluta culturis atq; immunda. Saluator etiam noster & dominus: In viam gentium, inquit ne abieritis & caute a fermento pharisæorum. Hoc idem ad monet & hortatur Paulus apostolus d. Nolite iugū ducere cum infidelibus quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conuentus templo dei cum idolis? Vos enim estis templum dei viui. Et ad Titum scribens ait, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus, Eiusdem sententiæ est quia & eiusdem spiritus Iohannes apostolus cum, dicat: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domum nec aue ei dixeritis, qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Quod si salutare quoque illos quibus nulla debetur salus, nefarium sit, quanto magis in consortium recipere? Cauenda est igitur infidelium hominum conuersatio, maxime eorum qui ita auersi sunt, vt nulla super sit spes futuræ illorum conuersionis & hoc APOSTOLORVM ipsorum exemplo qui cum vidissent incredulos IVDÆOS CHRISTVM nolle recipere ab eis discedentes alijs euangelizare dei verbum cœpere. Itaque ne perfectis quidem conuenit ad obstinatos accessio, cum ne in docendo operam perdant, tum ne molliter blandeque alloquendo fauere illorum errori videantur. Non minus declinandi sunt, qui in flagitijs obduruerunt. Peccantem (inquit dominus) corripe inter te & ipsum, si te non audierit adhibe alium, si neque illum audierit, dic ecclesiæ, si neq; ecclesiam audierit, sit

tibi sicut ethnicus & publicanus. Pro infideli ergo habeatur, quem peccasse omnino non poenitet, quiq; nulla correptione ad emendandum flectitur. Quod si cum tali conuersari te delectauerit, mores quoque diligere incipias necesse est. Alioquin ipsa vitæ diuersitas cito vestram dirimet societatem: & vbi dissimilis intercesserit volūtas, conuictus concors esse non poterit. In pro-
Prou. 12
uēbijs dicitur, Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Non hoc præcipitur, ne bene illi optes, & si poteris, facias, sed ne illo familiariter vtaris. Iracundus enim is est, qui facile ac leuissima de causa irascitur. Est autem difficile semper irascenti atque insultanti non aliquando irasci, & contra furentem non indignari, & ex indignatione non peccare. Ita superbo etiam si comes fueris, arrogans elatusque euades, testatur hoc Ecclesiasti-
Eccl. 13
cus, dicens. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Cum enim hominis ingenium ad vitia magis quam ad virtutes procliuē sit, magis verendum est, ne vir bonus malo adhærēs corrūpatur, quam sperandum vt malus æmulatione boni mores emendet. Quamobrem Apostolus diuersis vitijs inquinatos in vnum colligens ait,
1. Cor. 5.
Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum quidem sumite. Sciebat enim quia iuxta fornicationem periclitetur castitas, iuxta auarum liberalitas, iuxta idololatram religio, iuxta maledicum patientia, iuxta ebriosum temperantia, iuxta rapacem alieni abstinentia, & non esse tutum probo viro cum iniquis commorari. Ingemiscit Isaias & angitur animo vehementer, quod habitaret in medio populi labia polluta
Isai. 6.
habentis, seque ex eo labia sua polluisse confitetur atque fœdasse. Et si sanctus propheta viuendo inter iniquos derrimentum sentit, quis est tantæ constantiæ, vt cum flagitiosis conuersando lapsum non timeat?

2. Par. 20.

2. Reg. vi.

Matt. 2

Prou. 5

Vis nosse quia scelestis & profanis hominibus iungi dī
 spliceat ipsi deo Iosaphati regis Iudæ naues tempesta
 te contractæ sunt, deo indignante, q̄ in sortem earum
 admisisset Ochoziam impiissimum Samariæ regem. Id
 quidem hac ipsa de causa Eliezer filius Dodau de Maref
 sa prædixerat futurum Iterum requisitus Iosaphat no
 luit iungi illi, satis damno suo edoctus viride lignum
 arido applicatum simul comburi solere, & temerarium
 esse rursus committere, quod iam aperte intellexerat
 deo non placere. Magi Christum natum pie quærentes
 cum forte ad Herodem diuertissent, syderei luminis du
 catum amiserunt, & tenebras patiuntur quamdiu cum
 illo terribilissimæ mentis homine manent. Faceat igitur
 pessimus quisq̄ a consortio tuo, ne cum illo manendo
 inquineris, ne illum frustra docendo operam perdas, ne
 illi adhærendo deum offendas. Mulierum & conuer
 satio castitatem professis est vitanda, dicente in puer
 bis Salomone, Longe fac ab ea viam tuam, & ne app
 pinques foribus domus eius. Quod si multi aspectu illi
 us, multi colloquio semel inito, multi ipsa visæ formæ
 cogitatione irretiti sunt, nonnemaius periculum immi
 net, vbi propius assidetur, frequentius verba miscentur
 vbi ridenti arridetur, vbi crebra congressio mutua q̄q̄
 tactionis fecit licentiam? de hoc plenius suo loco discire
 mus, restat videndum cum ab his discesserimus, ad
 quos accedere, cum quibus nos frequentes esse nobis
 proderit.

¶ De consortio habendo. Cap. XXVI

SI forte ille, quo diu familiariter vsus es, a via vir
 tutis declinavit, retrorsum abiit, & sæpe admoni
 tus redire noluerit, dimitte eum, & membrū quod
 te scandalizat, abscide atq̄ a te proice: melius enim ti
 bi est sine illo ingredi regnum dei, quam cum illo mit
 ti in gehennam. Dimitte igitur mortuos sepelire mor
 tuos suos, tu Christum qui vita est sequere, vt viuas &
 æternæ mortis expers efficiare. Quod si adhuc illi se vl
 tro ingerunt tibi, tu auersus cum psalmista exclama:

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, declinate a me maligni, & scrutabor mandata dei mei. Nisi enim a turba hominum semoti fuerimus, libere deum contemplari nequimus, quanto magis impedimento erunt iniqui, si ab ijs non fugerimus. Quorum consuetudini idem propheta se penitus renunciaſſe gloriatur, cum ait. Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odiui eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Ita ergo hominibus vt edum eſt, vt pomis, donec recentia & integra permanent, grata ſunt, & guſtui ſeruantur, cum autem corrupta & marcida fuerint, proiiciuntur, quia neq; guſtum delectare queunt, neq; odoratum. Propheta igitur malorum contortio refutato, quos aditurus, cum quibus conſeſſurus ſit, continuo declarat, dicens. Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum domine. Quid eſt illud, niſi quod idem præcipit & ait, Cũ ſancto ſanctus eris, & cum innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. Inter innocentes autem manus lauare, eſt eos imitando iuſtitie operationibus exerceri. Altare autem domini circundat, qui ſacramenta eius alta mente contemplant, & cæleſtium meditationum fruſtur iucunditate. Sed niſi cum magis diſcedere curaueris ab Herode, & illos comirari, illis adhæreſte ſtuderis, quorum vitæ ſplendor & ſanctimonie claritudo tibi dux eſſe poterit vſq; ad Chriſtum, neq; manus digne lauare, neq; altare domini commodè poteris amplecti, audi ipſum ad diſcipulos dicentem: In quamcunq; ciuitatem aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis. Denigratur enim boni viri fama hoſpicio infami, honeſto autem & pudico commendabilis redditur, & quali quiſq; conſortio gaudet, talis eſſe & ipſe iudicatur. Optimorum ſimilitudo morum Ionaſthan iunxerat Dauidi, Eliſæum Eliæ, Paulum Petro, reliquos etiam apoſtolos innocentia inter ſe animiq; ſimplicitas copulauerat. Solus cum illis nequituit permanere ſacrilegus Iudas, quia eum quem illi amabant, ipſe

Pſal. 6
Pſal. 118.

Pſal. 24

Pſal. 17

Mat. 10

Mat. 18

vendidit, & hic quidem de grege domini egressus fau-
 cibus incidit lupi, ac perit. Ipsos vero concors inter se
 erga dominum affectus saluauit. Quibus ille in euange-
 lio ait. Si duo ex vobis consenserint super terram,
 de omni re quamcunq; petierint, fiet illis a patre meo,
 qui in caelis est. Vbi autem sunt duo vel tres congrega-
 ti in nomine meo, ibi sum in medio eorū. Porro illi in
 nomine Christi congregati sunt, qui pari mente atque
 animo Christo seruiunt, & p̄s orationum actionumq;
 obsequijs deo famulantur. Optimi cuiusque lateri cre-
 bro adhærens, nunquam non addisces aliquid, vel di-
 ctum sapienter, vel factum prudenter, vel obseruatum
 sancte. Adde quod neque præcepta, neque exēpla, quæ
 literis mandata legimus, ita mouent, vt sanctorum ho-
 minum viua vox, & præsens oris aspectus, & vitæ to-
 tius tenor oculis expositus ac manifestus. Miranda si-
 quidem plurimorum gesta audimus, nonnulla tamen,
 ga difficilia factu arduaue videntur, suspenso animo
 accipimus, vix fidem adhibentes relationi alienæ, de
 his autem quæ oculis intuemur, quæ præsentibus inspicimus,
 dubitare non est, neque ambigere. Aut cuius testi-
 monio credemus, si nostro contenti non fuerimus? Cum
 igitur nihil certius esse possit, quam quod ipsi coram
 audiuius, coramque spectauimus, nihil etiā magis ad
 capeffendas virtutes nobis proderit, quam semper si fie-
 ri potest, cum sanctissimis viris & colloqui & conuersa-
 ri. In illis enim cernendo non dissimilia n̄s quæ de alijs
 legimus, cum firmitus quæ a scriptoribus tradita sunt
 credemus, tum ardentius quæa nobis visa cognitaque
 fuere, imitabimur, considerātes quam munificus, quam
 benignus dominus noster sit, qui mira quæq; operandi
 confert gratiam credentibus in se ac sperantibus. Nisi
 enim ille bona cuncta suppeditaret, ad tantam sancti-
 tatis perfectionem hominis imbecillitas nunquam per-
 uenisset.

¶ De paupertate colenda.
 Cap. XXVII.

Sed gratiam istam accipere non merent mundi diuitiarumque amatores. Vt igit & sanctorum viroꝝ cōsortio digni simus, & ipsos imitandi donec nobis facultas, victu tantum necessario contenti, Chſo seruiamus. Magni animi est caduca contemnere, & ea q̄ stabilia æternaque sunt sectari. Si Christi discipuli fieri cupimus, meminerimus q̄ non de diuitum turba sibi discipulos elegit dñs, sed de pauperum grege & egenorum. Petrus, Andreas, Iohannes, Iacobus, piscatione victum sibi quærebant, relictis retibus & nauis, securi sunt Christum. Ex his postea Petrus cum Iohanne cuidam claudo elemosynam petenti respondit: Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi surge & ambula. Quis diuitum talem elemosynam dare vnquam potuit, qualem tunc hi pauperuli dedere, vt claudus qui baiulabatur, statim ambularet? Denique de ipsa apostolorum inopia, quod euangelia testantur, olim in prophetis fuit prædictum, vt illud plurimi faciendum scias, de quo neq; noui scriptores, neq; veteres tacuerunt. In Isaia legitur: Pauperes homines in sancto Israel exultabunt, sanctificabunt sanctum Iacob, & deum Israel prædicabunt. In Sophonia ad Hierusalem loquitur dominus: De relinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine domini. Indecens enim ac valde incongruum foret, vt diuitias possiderent serui, & dominus ediuerso paupertatis angustiis gauderet. Qui propterea quidem in terra paupertatem coluit, vt suo exemplo doceret, terrena contemnenda esse, & celestium tantummodo curam habendam, nec fragilibus delectari oportere, sed æternis: Nihil enim in terra habere voluit saluator noster, quod ipse fatetur, dicens: Non habet filius hominis vbi caput suum reclinet. Non habuit vnde vnus stateris tributum pro se & Petro solueret, & vt penuriam istam non necessitatis esse, sed voluntatis agnosceres, in ore piscis primum capti quærere staterem iussit, & inuentum exactoribus dari. Maluit pecuniam qua satisfaceret mirabiliter comparere, q̄ apud se

Act. 36

Isa. 59.

Soph. 3

Matt. 8

Mat. 17

reperam offerri. Poterat lapides in gemmas, in auge ligna conuertere, qui de ore piscis fecit staterem repente adesse, & tamen semper alieno vsus est hospitio, semper oblata ab alijs stipe sustentatus est, nudus iacuit in præsepio, nudus pependit in cruce, atque is qui cæli terræque erat dominus, nec syndonem suam habuit, qua velaretur mortuus, nec suum quo cõderetur sepulchrũ. Quod si omnium dominus in tanta rerum egestate in hoc seculo viuere voluit, pudeant sacerdotes, erubescant episcopi, amplas sibi ædes construere, cumulandis pecunijs operam impendere, vestibus pretiosis renitere, omnibus denique mundi delitijs disfluere, & se Christi seruos profiteri. Non tales elegit Christus, non talia præcepit, nec talem semetipsum exhibuit.

¶ De diuitiarum confidentia.

Cap. XXIII.

Ecclesiæ cura nobis commissa est, inquit: vt ergo ipsa ecclesia ab aduersariorum iniuria tuta sit necessarium est nos opibus viribusque pollere. Quasi vero infirmata sit dextera excelsi, & eam ecclesiã quam labore pauperũ fundauit & auxit, præsidio pauperum tueri nequeat, seruare non possit? Dicant igitur, cum populus Christianus multo grauiores persecutiones pateretur, quam modo patitur, quis tunc antistitũ eius diues erat? quis arma tractabat? quis vim viribus repellebat? Cædebantur quidem Christiani, sed Christi religio perire non poterat. Quinimmo quanto magis infideles tyranni sæutebant, tanto mirabilius credentium numerus augebatur. Creuit ergo Christi ecclesia, non diuitijs, non potentia hominum defensa, sed sola vt diuina protecta, & nunc seruari non poterit, nisi opulenti fuerint, nisi locupletes atque potentes extiterint, qui ei præsunt? Quid est autem quod propheta clamat, Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi, eripiens inopem de manu fortiorum, egenum & pauperem a diripientibus eum? Igitur non in pecunia, non in viribus potentia humanæ, sed in domino confidite. Quod

Psal. 34

si ei seruiendo perituras opes, vt debetis, contempseri-
 tis, omnibus inimicis vestris fortiores eritis, illo quo
 omnia potest, protegente ac tuente. Si vobis curæ erit,
 continentius viuere, mandata dei perficere, ecclesiæ o-
 pes non in vestrum vsum conuertere, sed indigentibus
 distribuere, aut defendet vos dominus ab infidelium vio-
 lentia, aut non defendet, si defendet, tuti eritis, si non de-
 fendet, per patientiam martyrii a domino coronabimini,
 & ecclesia dei gloriosius ædificabitur in cælo, quam
 permanet in terris. Neque enim lapidei parietes isti, vel
 prædia, vel vrbes, vel prouinciæ, vel regna, ecclesia dei
 sunt, sed ipsa Christum credentium atque confitentium
 congregatio, quæ cum de terra tollitur, in cælum trans-
 fertur, vt quæ inter mundi turbines fideliter militauit,
 iam supra mundum secunda triumphet, & omni terrena
 potestate sublimior dicat: Super inimicos meos despe-
 xit oculus meus. Sacerdotis arma, sanctæ orationes sunt
 Vos itaque cum Mose & Aarone orate in monte, & vi-
 ctu necessario contenti, cætera cedite inopi, viduæ, pu-
 pillo, miserorum sepulturæ, captiuorum redemptioni,
 oppressorum tutelæ, pietatis operibus, propugnatori-
 bus quibusque ad ducibus militiæ Christianæ, vt comparatis
 plurimum viribus hostili impietati fortius resistent: & il-
 li quidem non in se, sed in deo confidendo, vestrisque præ-
 ceptis adiuti vincant. Quandiu his contraria agitis, ec-
 clesiam quoque pati contraria necesse est. Quæ quoniam
 vobis commendata est, sanguis eius de manibus ve-
 stris requiratur: quia non quomodo Christus, neque quo-
 modo apostoli pro illa statis, sed qualiter vestra vobis
 persuadet libido: non vt oportet viuendo, sed potius vt
 delectat. Latos agros, regias domos, tyriantinas vestes
 auream argenteamque supellestem, phaleratos equos,
 venaticos canes, nobiles seruos vultis possidere, non vt
 Christi discipulos decet, sed terræ dominos, & ea reque
 copia, quæ nec veteri, nec noua lege conceditur vobis,
 abundare. Nam cum populus Israel ad terram promissi-
 onis translatus esset per singulas tribus diuidendam, sa-
 cerdotali tribuisset a domino dictum: In terra eorum nihil possi-

Psal. 53

Num. 18.

Q

Mat. 10

Luc. 14.

Mat. 16.

Mat. 19

1. Tim. 6

debitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hereditas vestra in medio filiorum Israel. Possessionem itaque non sunt sortiti sacerdotes, & tantum decimas ac primitias quibus sustentarent, & loca in quibus habitarent, habebant. Nouis vero, id est Christi discipulis discipulis, dicitur: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. & Qui non renuntiauerit omnibus quæ habet, non potest esse meus discipulus. & Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. & Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me, nihil terrenum promittit sacerdotibus, ut cælestia tantum affectent, de cælestibus prædicent, & portionem in cælo consequantur, qui in terra diuitias habere noluerunt. Quare ergo ecclesiæ agri, villæ, vici, vrbes donatæ sunt, & sacerdotibus episcopisque distributæ? Certe non ut in his ipsi luxurent, sed egenos pascant: non ut sibi nummos inde congregent, sed ut inopum turbæ dispensent, ut miserorum necessitati succurrant, & stipendia quoque militibus ministrent, qui pro religione, pro fide, pro iustitia contra infideles decertant. Ecclesiæ igitur bona pauperum sunt, quorum sacerdos non possessor, præter vitæ necessaria sed dispensator est. Qui autem dispensat, fideliter dispenset, & audiat Apostolum dicentem: Habentes alimenta & quibus regamur, his contenti simus, nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nocua, quæ mergunt homines in interitum & in perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem o homo dei, hæc fuge, ad Timotheum enim scribebat. Qui ergo talia non fugiunt, sed augendi peculij cupidine ducuntur, non homines dei sunt, sed mammonæ serui. Homo dei est, qui cum Christo pauper est, ut in Christo diues sit.

¶ De diuitiarum malo, & paupertatis bono.

De charitate Liber III. 253
Caput XXIX.

Vidit & Salomon quantū periculi in diuitiis esset, & precatus est deum, dicens: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantū victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est dominus? aut egestate compulsus furer, & perirem nomen domini mei. Sed quoniam supra modum locupletatus fuit, in id quod timebat incidit: Diuitiarum copia delinitus, voluptatibus seruit, mulierum quas adamauerat, dijs templa posuit. Et si vir alioqui sapientissimus sic insaniuit, quis confidit continentem se fore, si diuitiis affluere sibi conrigerit? Diuitiæ luxuriam pariunt, luxuria turpis libidinis est mater, turpem autem libidinem dementia comitatur. Diues præterea ad interendam iniuriam promptus est, ad tolerandam impatiens, inanis gloriæ cupidus, æqualibus inuidens, humiles despiciens, ac proinde aliorum famæ non facile parcens, opulentia ostentator, paupertatis irrisor, ad vitia audax, ad bonum animi tardus. Diuiti quoque multi inuident, plurimi insidiantur, & spolijs eius ditari cupiunt. Sed quamuis nemo insidietur, ille tamen metuit domi fures, foris latrones & citus illi pariter suspectus est & somnus: nec minus interdum animi sollicitudinibus quam fortunis abundat. Pauper vero ubiq; tutus est, ubique securus. Capta Hierosolyma Nabuchodonosor Chaldaeorum rex omnia translulisse Babylonem dicitur, solos pauperes reliquisse, ne ignores paupertatem etiam inter hostes quandoque manere illa sam, nec frustra esse dictū, Pauperes fiducialiter requiescent. Iidem submissius supplicent & efficacius exaudiuntur, iuxta illud: Deprecatio pauperis vsque ad aures perueniet, & illud in psalmo, Exaudiuit pauperes dominus, & vinctos suos non despexit. Quorum autem exauditur oratio, ijs pro breui inopia, æterna tribuitur beatitudo, dicente domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. & Beati qui nunc esuritis, quoni-

Pro. 30

4. Reg. 24
Ierem. 39

Isa. 14.

Eccl. 37
Psal. 68

am saturabimini . de diuitibus vero econtrario est dictum , quod facilius transibit camelus per foramen acus , quam diues ascendet ad regnum cælorum . Cui sententiæ & illud enangelicum congruit , Esurientes impleuit bonis , & diuites dimisit inanes . Quid enim illo homine magis vanum , qui diuitijs , quas mox vita decedens relinquere cogitur , diu se friturũ sperauit ? aut quid felicius illo , cui pro terrenorum cõtemptu bona compensantur cælestia ? Ideo piissimus Tobias filiũ consolabatur dicens : Noli timere fili mi , pauperem quidem vitam gerimus , sed multa bona habebimus , si timuerimus deum , & recesserimus ab omni peccato , & fecerimus bene . Melius est igitur (vt Psalmista ait) modicum iusto super diuitias peccatorum multas . Et Salomon in prouerbijis : Melius est parum cum timore domini , quam thesauri magni & insatiabiles . Nam qui in humilitate sanctã colit paupratem , postea in paradysum translatus exaltatur in gloria . Quoniam deus suscitatur a terra inopem , & de stercore erigit pauperem , vt collocet eũ cũ principibus , cum principibus populi sui . hoc propheta in psalmo ait , quod in alio affirmat dicens , Iudicabit dominus pauperes populi , & saluos faciet filios pauperum . Parcet (inquit) pauperi & inopi , & animas pauperum saluas faciet . Et iterum alto loco , Pauper & inops laudabunt nomen tuum . Ne cui tamen fraudi sit , de paupere humili , iusto deumque timente ac spontaneo ista prædicantur , non de illo qui inuitus indiget & indignatur , & intemperanter concupiscit , & ne inopia quidem oppressus humiliatur . Nec de illo qui pauper sub humilitatis pallio hypocritissim nutrit , vt quasi sanctus laudetur ab hominibus . Hic enim quanto plurijs vulgi opinione æstimabitur , tanto vilior coram deo contemptibiliorque apparebit . Stimulata sanctitas aurum adulterinum est , exterius quidem preciosum apparens , intus vilissimum existens , cum frangitur tunc manifestum fit quale fuerit , & inter rudia æramenta despectum abijcitur . Qui vero nihil dolose nihil fite agunt , sed libenti animo sua omnia relin-

Tobi. 4.

Psal. 36.

Prou. 15.

Psal. 112.

Psal. 71.

Psal. 35.

quunt, vt pauperes pauperem sequantur Christum: hi a postolica bea-
titudinis atq; dignitatis consortes effi-
ciuntur, & ab ipso domino simul audiunt, Amen dico vo-
bis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum
sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis
& vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tri-
bus Israel: & omnis qui reliquerit domum, vel fratres
aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut
filios, aut agros propter nomen meum, centuplum ac-
cipiet, & vitam æternam possidebit. O omnibus diu-
tius præferenda paupertas, omni auro, omnibus gem-
mis preciosior, cui tanta ac talia promittuntur.

Matt. 19.

Ne quis timeat necessaria sibi
defutura Caput xxx.

Actu. 9.

Verumamen ne quis Ananiæ & Sapphiræ vano
abductus timore, ne sibi necessaria desint, si re-
lictis omnibus Christum sequi voluerit, partem
que reseruare in animo habuerit, audiat ipsam dicen-
tem, Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus,
aut quid bibemus, aut quibus operiemur? hæc enim om-
nia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his
omnibus indigetis, quærite ergo primum regnum dei
& iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis. Hoc
veterum nouorumque nobis euenta confirmant. Israe-
liticus populus cum esuriret, manna de cælo nutritus
est, cum sitiret, aquam de petra repente manantem bi-
bit. Agar cum puero eiecta in solitudine angeli indi-
tione siti periret, aquam inuenit. Samsoni sitienti de
maxillæ asinæ molarum aqua effluxit, Elias cum ho-
minum subsidia non haberet, a coruis pascitur, & vi-
duæ quæ se filiosque suos defraudans panem prophe-
tæ porrexerat, hydria farinæ non detecit, nec lecytus
olei fuit imminutus. Idem propheta qui fuit Elias The-
sabitæ, cum lezabelem fugeret, & fame sitique fatiga-
tus mori optaret, somno experrectis reperit ad caput
subcinericium panem & vas aquæ, & refocillatus est.
Idem viginti panibus hordeacis centum viros deo præ-

Matt. 6.

Agar.
Samson.
Elias.
Vidua.

Elias.

Daniel.
Mat. 14.

Mat. 10

Luc. 21

stante fatiavit, ita ut etiam superesset. Daniel morti additus, & in lacu leonum conclusus allato mirabiliter prandio reficitur, & inter ferocissimas bestias manet securus. Dominus noster Iesus Christus, sine quo factum est nihil, quinque panibus & duobus pisciculis in deserto quinque milia virorum exceptis mulieribus ac parvulis reddidit saturata, & reliquæ collectæ duodecim cophinos impleverunt. Iterum pari miraculo quatuor milia hominum præter parvulos & mulieres panibus tantum septem memoratur satiassè, fecisseque ut satiatis septem fragmentorum sportæ superessent. Discipulos ergo inter nauigandum anxiosque panes ferre secum obliti essent, iusta correptione incessit, dicens: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis, nondum intelligitis neque recordamini quinque panum & quinque milium hominum, & quæ cophinos sumpsistis? neque septem panum & quatuor milium hominum, & quot sportas sumpsistis? Utque nobis constaret, nihil omnino quod necessarium sit, seruis Christi defuturæ, alias ab eodem interrogati illi, cum ad prædicandum missi essent sine sacculo, sine pera, sine calcamentis, an aliquid ipsis defuerit? responderunt, defuisse sibi nihil. Proinde experimento iam edocti, nec sitim, nec famem, nec nuditatem timebant, quia nihil habentes, quasi omnia possidebant dum nullius rei egerent, & modico contenti essent, ut magna mererentur. Quod autem sequitur. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium, non reor esse simpliciter præceptum, sed imminenti persecutionis causa denunciatum, per sacculum prope ac peram, famis & sitis futuræ malum innui, pro gladio patientia martyrii designari mihi videtur: sacculus enim & pera victui seruit, gladio autem fidei ab impietate persequentium defendimur. Porro per ea quæ superius dicta sunt, rerum quærendarum sollicitudo tollitur, non otium imperatur. Quærite, inquit, primum regnum dei. Sed qui regnum dei quærunt, non solum cælestium cõtemplationi, aut impartendæ alijs do-

Strinæ vacat, sed etiam manibus operatur, partim vt
 alimenta sibi paret, partim ne desidia se dedat, & quies-
 cente corpore, feruor quoq; animi erga diuina succen-
 si tepescat. Sic fecit Paulus, tantummodo sabbatis
 cum Iudæis disputans, cæteris diebus arte scenofacto-
 ria se exercens. Quod si ad victum labor non suffecerit
 aliunde id quo indiges tibi adicietur. Licet em̄ & ab ijs
 accipere quos doces, quia dignus est operari^o cibo suo
 & qui altari seruit fas est ei viuere de altari, i. de his
 quæ templo offeruntur. Omnis enim rerum vtendarū
 oblatio, pauperum census est, non eorum quibus sua sa-
 tis sunt. Cum autem omnia defuerint, tunc demum ma-
 num suam porriget deus, & qui mundo quoque serui-
 entes alit, sibi seruentibus desse non poterit. Ideo re-
 spicite (inquit) volatilia cæli, quæ non serunt, neq; me-
 tunt, neque congregant in horrea, & pater vester cæle-
 stis pascit illa, nonne vos pluris estis illis. Deinde confi-
 derare nos iubet lilia agri quomodo crescant, quali co-
 lore regantur, & si (inquit) scenum agri, quod hodie est
 & cras in clibanum mittitur, deus sic vestit, quāto ma-
 gis vos modicæ fidei. Vnde ipse deus, veluti non habes
 quorum iustius curam gerat, quam eorum qui sibi in
 paupertate famulantur, in Isaia ait, Ad quem respici-
 am nisi ad pauperulum & contritum spiritu, & tre-
 mentem sermones meos. Hinc illa psalmistæ adhorta-
 tio est, Timete dominum omnes sancti eius, quoniam
 nihil deest timentibus eum, diuites egerunt & esurie-
 runt, inquirentes autem dominum non minuentur om-
 ni bono. Quæris quomodo diuites egerunt. Illi q pur-
 pura induebarur, qui laute oppipareque cœnitabat, in
 inferno sepultus gutta vna aq̄ indiguit. Rursum quæ-
 ris quopactō pauperuli deo seruentes bonorum com-
 potes fiant? Lazarus mendicus erat, hulcerosus, esu-
 riensque micas illas, quæ de diuitis mensa cadebant,
 translatus autem in sinum ABRAHAE in locum be-
 atorū omni bono cœpit abundare. Quis vtriusque fi-
 ne perspecto non dixerit, & illius infelicissimas diuiti-
 as, et huius felicissimam mendicitatem? Breuis est præ-

act. 18.

Mat. 6.

Isaia. 69.

psal. 38.

et. 187.

et. 187.

Iaco. 2. sentis paupertatis toleratio, futuræ vero remuneratio-
nis habet perpetua est & perennis, quod testatur Ia-
cobus apostolus, dicens: Nonne deus elegit pauperes in
hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni? Ne quem
igitur dum domino seruit, paupertatis grauent angu-
stia, cogitet quam grande beneficium sit, ab ipso eligi,
fide ditari, & cælestis regni fieri hæredem.

Finis libri tertij.

EVANGE

LIST ARII MARCI MARVLI LIBER
quartus, de charitate, & ijs quæ charitatem con-
sequuntur vel euacuant.

De charitate erga deum. Cap. I.



VAE ad fidei speique v̄tutem magis per-
tinere arbitror, hæten⁹ dicta sunt, restat
vt charitatis quæ officia deo adiuuante
exponamus, easque simul partes tracte-
mus, quæ illi congruere videbuntur, bo-
nis mala more n̄o conferendo: vt legen-
tes, & qd sequendum sit, & quid vitandum, discant. Di-
liges (inquit saluator) dominum deū tuum ex toto cor-
de tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc
est maximum & primum mandatum. Secundum autem
simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.
In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophe-
tæ. Maxima igitur charitas est, quam deo debemus; hu-
ic propinqua, qua homines prosequendi sunt. Deum ex
toto corde tunc diligimus, cum nihil eius dilectioni æ-
quamus: sed quæcunq; nobis chara sunt, secundo loco
habemus, quod nisi præstabimus, deo frui non poteri-
mus. Ait enim, Qui amat patrem aut matrem plus quā
me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam
plus quā me, non est me dignus. Ex tota autē anima deū di-
ligimus, cū ne vitæ qdem n̄æ parcimus, dum ei obse-

Mat. 22

Mat. 10